BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
30 E
26

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTIQUA
PRISCORUM HOMINUM
PHILOSOPHIA
EVIDENTIBUS
DEMONSTRATIONIBUS
Cum vera ſcientiæ methodo reſtituta.

LOGICA.

Autore Reverendo Patre BERNARDINO D'ANDRE'E *Carpentoractenſi, Ordinis Capucinorum, Philoſophiæ ac Theologiæ Profeſſore.*



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

LUGDUNI,
Apud J. Bapt. & Nicolaum De Ville,
in vico Mercatorio, ſub ſigno Scientiæ.

M. DC. XCIV.
CUM PRIVILEGIO.

Digitized by Google

CHRISTO
CRUCIFIXO
SCIENTIARUM
DOMINO.

SOC. IESV. BIBL. SEC. COLL. ROM.
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TE unum ambit Patronum, quem ſolum agnoſcit Authorem, Philoſophia reſtituta, Domine Ieſu-Chriſte, Rex æternæ gloriæ. Hanc enim tu ipſe, per quem facta ſunt omnia, primis hominibus velut pretioſum quemdam Theſaurum, præſtantiſſimumque Donum infudiſti. Hanc contractâ deindè per peccatum ignorantiâ, temporum lapſu penè deletam, atque deperditam, deſtructo per crucem tuam peccati, ac mortis imperio, tu quoque, qui doces hominem ſcientiam, & aperis linguas mutorum, profligatis ignorantiæ tenebris, reſtituiſti. Equidem non ſolùm

aliis præluxiſti Philoſophis ; verùm ego etiam hujus operis inchoandi Conſilium te inſpirante concepi : viam ipſe aperuiſti, ſummamque laboris difficultatem pertimeſcenti addidiſti mihi vires , & animum. Quid dicam ? adhuc præ laboris magnitudine reluctantem , necdùm planè acquieſcentem quaſi Coëgiſti ; dùm ſuperiores mei Philoſophiam docendi onus mihi te authore impoſuerunt. Labore autem ſuſcepto deficientes identidem recreaſti vires : nec unquam defuiſti perplexo animo humiliter invocatus. Sed ita ſupplicanti opem , auxiliumque opportunè contuliſti ; ut abſolutum eſſe opus trium annorum ſpatio vix oculis meis crederem : niſi tuum illud eſſe non dubitarem , exceptis duntaxat illius defectibus. Neſas itaque putavi , præter te unum , Domine Ieſu-Chriſte , alteri cuicumque , quod tuum eſt , offerre munus ; aut fructum arboris , quam in paradiſo voluptatis , in horto nimirum Seraphici Capucinorum ordinis tuâ gratiâ inſerere , tuâque benedictione irrigare miſericorditer dignatus es. Quapropter arborem ſimul , & fructum illius

gloriæ tuæ conſecrare non vereor, magno flagrans deſiderio, ut quicumque ex eo comederit, ita per gratiam tuam aperiantur oculi ejus : ut ex creaturis viſibilibus te ſolum Deum verum evidenter agnoſcat ; atque humiliter Confiteatur. Munus igitur meum, quodcumque tandem illud ſit, Domine Deus Rex cæli & terræ ſuppliciter obſecro benignè ſuſcipias : neque illius exilitatem, ſed maximum offerentis affectum réſpicias. Neve indignè tuleris quod reſtitutam Philoſophiam Auguſtiſſimo, & Glorioſiſſimo Nomine tuo illuſtrare, eamque Sanctiſſimo Numini tuo de tua benignitate confidens auſus ſim dedicare publicâ inſcriptione hîc annexâ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ÆTERNÆ DEI SAPIENTIÆ,
VERBO INCARNATO, ET CRUCIFIXO,
UNIVERSI TOTIUS CONDITORI
POTENTISSIMO, ATQUE SAPIENTISSIMO
REPARATORI,
SCIENTIARUM OMNIUM AUTHORI,
ET RESTITUTORI, PRINCIPIO, ET
FINI
F. BERNARDINUS CARPENTORACTENSIS
SERVUS IMMERITUS, ET INDIGNUS
CRUCIFIXO SPECIALITER DICATI
CAPUCINORUM ORDINIS,
ATQUE CRUCI CUM CHRISTO CONFIXI
PATRIARCHÆ SANCTI FRANCISCI
ALUMNUS
IN PERPETUÆ SERVITUTIS, ET GRATI
ANIMI MONUMENTUM,
RESTITUTAM PHILOSOPHIAM SUPPLEX
OFFERT, CONSECRAT, DEDICATQUE.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

IN

UNIVERSAM
PHILOSOPHIAM
PRÆFATIO NECESSARIA.

IN ipſo Philoſophiæ limine conſtitutum, antequàm ultrà progrediaris amice Lector, priùs quid ſit Philoſophia, quæ operis ratio, quòdve conſilium paucis te præmonere volui.

Philoſophia, ſi nominis Ætimologiam ſpectes, ſtudium ſapientiæ; ſi verò naturam conſideres, rerum omnium, quæ naturali lumine ſciri poſſunt, evidens, & certa cognitio definiri poteſt: cujus origo non aliundè, quàm à Deo Patre luminum, à quo eſt omne

bonum, atque omne datum perfectum, repetenda eſt, qui eam Primo parenti primùm infudit.

Deindè temporum lapſu, ac hominum incuriâ penè deletam præſtantiſſimi ingenio viri, imprimìs Ariſtoteles, partim vi nativâ proprii intellectûs, partim experientiâ multiplici, ac frequenti meditatione reſtituere conati ſunt. Inceptum verò jam opus poſteri pro viribus promovere non deſinunt. Dividitur autem Philoſophia in Logicam, & Metaphyſicam, in Phyſicam, & Ethicam, ſeu Moralem.

Priùs itaque trademus Logicam, quæ cæteras ordine præcedit; cujus objectum eſt ens ſcibile, ut ſcibile eſt, cujus finis eſt dirigere intellectum ad omnes ſcientias perfectè acquirendas. Dum enim ea docet quid ſcibile ſit, & quotuplex, quid ſit ſcientia, & quotuplex ſcientia de quolibet ente ſcibili poſſit acquiri, quâ Methodo, &

quo modo, ſeu quid ſit Methodus ſcientiæ, & modus ſciendi, & cætera omnia, quæ ad ens ſcibile, ut ſcibile eſt, referuntur: Illæ cognitiones certæ, & evidentes, quas tradit, ſunt media, quibus finem ſuum aſſequitur. Logica ſiquidem eſt cognitio certa, & evidens entis ſcibilis, ut ſcibile eſt, & omnium, quæ ad ens ſcibile, ut ſcibile eſt, referuntur: quâ cognitione inſtructus homo, ſive intellectus humanus ea omnia novit, quæ priùs noſſe neceſſarium eſt, ut omnem, & quamlibet ſcientiam perfectè poſſit acquirere.

Quia verò tres ſunt mentis operationes, ex quibus omnis ſcientia componitur; ideò Logicam in tres partes dividemus, in quarum prima, quibuſdam præmiſſis definitionibus neceſſariis, Tractabimus de directione intellectûs quoad primam mentis operationem ad omnes ſcientias perfectè acquirendas; in ſecunda de directione

intellectûs quoad ſecundam mentis operationem: in tertia ſimiliter de directione ejuſdem intellectûs quoad tertiam mentis operationem ad omnes ſcientias perfectè acquirendas agemus. Quæſtiones autem tam proœmiales, quàm eas, quæ in tota paſſim occurrunt Logicâ, difficiliores ad calcem hujus operis, in quartam, ſcilicet, & ultimam Logicæ partem rejecimus.

Abſurdum eſt enim ſtatim initio Logicæ hujuſcemodi quæſtiones proponere Tyronibus, utrum detur Logica; an ea ſit ars, vel ſcientia: an ſpeculativa, vel practica. Cùm enim nedum Logicam viderint, quomodò utrum ea ſit ſcientia, vel ars dijudicare poterunt; præſertim cùm necdum Syllogiſmi formam, nec Sophiſtarum fallacias, nec objectiones capere poſſint, nec ſolutiones: nec denique rationum, aut argumentorum ponderare momenta. Quæſtiones

prætereà tùm Phyſicas, tum Metaphyſicas, quibus ſcatent prædicamenta, atque tota confunditur Logica, ab ipſa prorsùs Logicâ rejecimus, quamlibet in proprio loco (ut rationi conſentaneum eſt) commodiùs, atque utiliùs tractaturi.

Cæterùm amice lector multas fortaſſe legiſti, nec ſine tædio percurriſti Logicas inſuperabilibus horridas difficultatibus, in quibus nihil certum, & evidens, nihil niſi probabile reperiſti. Hanc etiam quæſo volvere, & revolvere non dedigneris; impenſi, ut arbitror, non te pœnitebit laboris: ita enim reperies vetera, ut tamen ſint omnia nova, omnia clara, certa, & evidentia, ſpinis, & difficultatibus penitùs expurgata. Quod de aliis etiam Philoſophiæ partibus intelligas velim. Ita verò eam lege, ut primùm totam levi pede percurras; atque generalem illius ideam haurire valeas: deindè iterum inci-

piendo lento gradu ſingula minutim perpendas.

Logicam excipiet Metaphyſica, cujus objectum eſt ens creatum ut ſic; quatenùs ſcilicet convenit tam enti creato corporeo, quàm incorporeo: tam univerſali, quàm ſingulari; ſubſtantiæ denique, & accidenti. Quæ ſcilicet entis creati, atque cujuſlibet differentiæ entis, tum illius oppoſitorum naturam, & proprietates demonſtrat.

Hanc ſubſequetur Phyſica, cujus objectum eſt ens corporeum naturale, quæ nimirum entis corporei naturalis, & omnium, quæ ad ens corporeum naturale, vel tanquam ſpecies, vel tanquam oppoſita referuntur, naturam, & proprietates demonſtrat. Cùm enim objectum Metaphyſicæ ſit quid ſimplicius, atque univerſalius objecto Phyſicæ; illa præcedere, hæc verò ſubſequi neceſſariò debet. Id namque exigit Methodus,

ſcientiæ ut ſemper à ſimplicibus ad compoſita, & ab univerſalioribus ad minùs univerſalia procedamus. Quod certè eorum etiam experientiâ confirmatur, qui Phyſicam ante Metaphyſicam tradere neceſſarium arbitrantur. Hi etenim totam penè Metaphyſicam in ipſa Logicâ præmittere non verentur.

Poſt Phyſicam denique tradenda videtur Ethica, ſeu moralis Philoſophia, cujus objectum eſt hominis beatitudo, cujus finis eſt dirigere hominem ad beatitudinem. Cùm enim ea doceat quid ſit, & in quo conſiſtat hominis beatitudo, & quæ ſint illius proprietates; quo modo & quâ methodo ea poſſit acquiri: quæ ſint impedimenta ad beatitudinem aſſequendam, & quomodò removenda; hominem dirigit ad beatitudinem ut manifeſtum eſt. Quia verò beatitudo formalis eſt quædam ſpecies actûs intellectûs, & voluntatis: impedimenta quoque, & media beatitudinis acquirendæ

ſunt actus humani, ſeu actus morales virtutum, atque vitiorum: hinc patet Ethicam neceſſariò ſubordinari Phyſicæ, quæ de actibus hominis tractat in genere. Illam verò tibi libentiſſimè tradam amice lector, ſi Deus vitam, & otium donaverit, & hæc tibi placuerint: non enim te volo importunis, atque ingratis onerare muneribus.

Hic erit ergo finis, & ſcopus Philoſophiæ noſtræ, in cujus decurſu methodum ſcientiæ obſervabimus in omnibus; & quoniam nihil magis alienum à Philoſopho duximus, quàm aliorum decretis aſtrictum miſeram in Philoſophando ſervire ſervitutem: ut faciunt hi, qui ſectis quibuſdam addicti ne latum quidem unguem à magiſtrorum ſuorum placitis recedere audent. Ideò lectorem monitum velim nos quidem Ariſtotelem tanquam Philoſophorum principem ſuſpicere; nulli tamen ſive Thomiſtarum, quos vocant, ſive Scotiſtarum, ſive

eorum, qui Nominales, tum qui Carteſiani dicuntur, ſectæ addictos eſſe. Et quamvis omnes, imprimis divum Thomam, & Scotum, cum divo Bonaventura honore debito proſequamur; nullius tamen, nec ipſiuſmet Ariſtotelis authoritate permoti ab eorum ſententiis, quotieſcumque certitudo, & evidentia poſtulaverint, recedere non verebimur, quippè qui reſtitutam exhibere Philoſophiam cogitamus. Sed hæc de hujus operis ratione, atque Philoſophiæ diviſione, & ordine dicta ſufficiant.

INDEX LOGICÆ.

PRÆFATIO NECESSARIA.

DEFINITIONES, prævíæ ad Logicam.

PARS PRIMA.

TRACTATUS PRIMUS.

DE

DIRECTIONE INTELLECTUS, quoad primam mentis operationem.

PRÆFATIO.

Cap. 1. *Termini Logici definitio, atque diviſio.* 10

2. *Ideæ definitio, & diviſio.* 13

3. *De idea incomplexa.* 15

4. *De cæteris ideæ ſpeciebus.* 20

5. *De proprietatibus termini Logici mentalis.* 25

6. *De termino Logico objectivo.* 27

7. *De neceſſario.* 28

8. *Diviſio termini Logici.* 31

9. *De proprietatibus termini ſubjicibilis objectivi.* 33
10. *De proprietatibus termini ſubjicibilis mentalis.* 38
11. *De termino Logico univerſali.* 39
12. *De termino Logico univoco.* 42
13. *Diviſio univerſalis objectivi.* 45
14. *Diviſio univerſalis objectivi prædicabilis.* 48
15. *Solutio objectionum.* 54
16. *Utrum ſint tantùm quatuor prædicabilia.* 57
17. *Diviſio prædicabilis mentalis.* 62
18. *Tractatus primi corollarium.* 67

PARS PRIMA

LOGICÆ

TRACTATUS II.

CAP. I. *Quâ methodo poſſit omnis terminus ſubjicibilis reperiri.* 68
2. *Ante-prædicamenta.* 71
3. *Prædicamentum abreviatum ſive arbor Porphirii.* 78
4. *Prædicamentum ſubſtantiæ.* 80
5. *Prædicamentum quantitatis.* 84
6. *Prædicamentum qualitatis.* 88

7. *Prædicamentum relationis.* 92
8. *Prædicamentum actionis & paſſionis.* 95
9. *Prædicamentum temporis.* 98
10. *Prædicamentum loci.* 99
11. *Prædicamentum ſitus.* 100
Poſtprædicamentorum præfatio. 103
12. *De oppoſitis.* ibid.
13. *De proprietatibus oppoſitorum.* 107
14. *De modis prioris.* 109
15. *De modis ſimul.* 111

PARS SECUNDA

LOGICÆ

TRACTATUS PRIMUS.

PRÆFATIO.

CAP. I. *DE nomine.* 114
2. *De termino Logico vocali.* 117
3. *Diviſio termini Logici vocalis.* 120
4. *Vulgata diviſio termini Logici.* 122
5. *De varia nominum ſuppoſitione.* 124
6. *De Verbo.* 126

PARS SECUNDA
LOGICÆ
TRACTATUS II.

PRÆFATIO. 128

CAP. 1. *De oratione.* 129
2. *De propoſitione.* 131
3. *Propoſitionis ſimplicis diviſio.* 135
4. *De propoſitione Logica.* 138
5. *De propoſitionum proprietatibus reſpectivis.* 139
6. *De converſione propoſitionum.* 140
7. *De oppoſitione propoſitionum.* 143
8. *De æquipollentiâ propoſitionum.* 146
9. *De propoſitionibus modalibus.* 147
10. *De diviſione.* 148
11. *De Definitione.* 151
12. *Utrum diviſio & definitio ſint enuntiationes perfectæ.* 157
13. *De methodo ſcientiæ.* 158

INDEX

PARS TERTIA.

LOGICÆ

TRACTATUS PRIMUS.

CAP. I. DE *modo ſciendi.* 163

2. *De argumentatione.* 165

3. *De Syllogiſmo.* 166

4. *De proprietatibus Syllogiſmi.* 171

5. *Syllogiſmi diviſio ratione figuræ.* 175

6. *Syllogiſmi diviſio ratione modi, & exempla modorum primæ figuræ.* 178

7. *Exempla modorum ſecundæ figuræ.* 183

8. *Exempla modorum tertiæ figuræ.* 185

9. *De reductione Syllogiſmorum imperfectorum ad perfectos.* 188

10. *De reductione Syllogiſmorum per expoſitionem.* 192

11. *De reductione eorumdem per impoſſibile.* 193

INDEX

PARS TERTIA
LOGICÆ
TRACTATUS II.

CAP. 1. *SYlogiſmi diviſio ratione materiæ.* 195
2. *Syllogiſmi demonſtrativi diviſio.* 197
3. *De præcognitis ad demonſtrationem.* 201
4. *De medio demonſtrationis.* 203
5. *Præcedentis capitis appendix.* 208
6. *De officio argumentantis & reſpondentis.* 212
7. *De Syllogiſmo dialectico.* 213
8. *De Syllogiſmo Sophiſtico.* 214
9. *De Sophiſtarum fallaciis.* 216
10. *De fallaciis in rebus.* 218
11. *De reliquis argumentationum ſpeciebus.* 222

PARS QUARTA
LOGICÆ

PRÆFATIO. 226

Tractatus I. 227

DE

PHILOSOPHIA IN GENERE.

QUÆST. I. DE *nomine & eſſentia Philo-ſophiæ.* ibid.
2. *Utrum exiſtat Philoſophia.* 230
3. *De cauſis Philoſophiæ.* 237
4. *De Partibus Philoſophiæ.* 243
5. *De ſcientiarum præſtantiâ.* 245
6. *De nomine & exiſtentia Logicæ.* 250
7. *De objecto Logicæ.* 252
8. *Utrum Logica ſit ſcientia vel ars.* 257
9. *Utrum Logica ſit ſcientia practica.* 264
10. *Utrum Logica ſit ad alias ſcientias acquirendas neceſſaria.* 270
11. *Utrum Logica docens & utens ſint diverſi habitus.* 277

PARS QUARTA LOGICÆ TRACTATUS SECUNDUS IN QUO

TRACTANTUR PER ordinem Quæſtiones quæ de tribus mentis operationibus proponi ſolent.

QUÆST. I. *Vtrum in primâ mentis operatione poſſit eſſe falſitas.* 285
2. *Vtrum voces Significent res vel conceptus.* 289
3. *Vtrum propoſitio ſit una ſimplex qualitas.* 294
4. *De veritate propoſitionum contradictoriarum, & ſingularium de futuro.* 298
5. *De reliquarum propoſitionum veritate.* 308
6. *De Syllogiſmo.* 310
7. *De ſcientia.* 315
8. *De objecto ſcientiæ.* 323
9. *Vtrum ſcientia, fides, & opinio ſimul eſſe poſſint.* 326
Theſes Logicæ, &c. 335

FACULTAS IMPRIMENDI conceſſa ab Adm. R. P. Generali.

NOS F. BERNARDINUS AB ARETIO, Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum Miniſter Generalis L. I. Cùm opus cui titulus eſt: *Antiqua Priſcorum hominum Philoſophia, evidentibus demonſtrationibus cum vera ſcientiæ methodo reſtituta* à V.P. BERNARDINO CARPENTOR. Provinciæ S. L. Concionatore Capucino compoſitum, duo ejuſdem Ordinis Theologi recognoverint, ac in lucem dari poſſe probaverint. Poteſtatem facimus ut prædictum opus, ſervatis de jure ſervandis, typis mandetur, ſi iis quorum intereſt, ità videbitur. Datum Valentiæ in Hiſpania. Die 5a. Octobris 1692.

F. BERNARDINUS
Miniſter Generalis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

a

DEFINI

DEFINITIONES
PRÆVIÆ
AD LOGICAM.

CUM Logica ſit ſcientia, cujus objectum eſt ens ſcibile, ut ſcibile eſt; priùs ſcire quid ſcientia ſit, & quid ſcibile: quid ſit modus ſciendi, & Methodus ſcientiæ videtur neceſſarium. Quæ omnia ſequentibus definitionibus innoteſcent.

1. Def. Scientia eſt cognitio certa, & evidens, ex principiis certis, & evidentibus neceſſariò deducta.

Cognitio ſeu mentis, aut intellectûs operatio triplex eſt. Prima vocatur ſimplex Apprehenſio. Secunda Judicium, ſeu Enuntiatio, vel Propoſitio. Tertia Diſcurſus, ſeu Syllogiſmus, aut Ratiocinatio.

2. Def. Prima Apprehenſio eſt cognitio, quâ intellectus aliquid cognoſcit, nihil de illo affirmando, vel negando. Ut quando cognoſco *hominem*, vel *lapidem*.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

3. Def. Judicium eſt cognitio, quâ intellectus aliquid cognoſcit, de illo quidpiam affirmando, vel negando. Ut *Philoſophia eſt ſcientia*. Vel *homo non eſt lapis*.

4. Def. Diſcurſus eſt cognitio, quâ intellectus ex duobus cognitis cognoſcit aliud, v. g. *Petrum eſſe animal*, ex eo, quod jam novit *omnem hominem eſſe animal*, & *Petrum eſſe hominem*.

5. Def. Cognitio evidens, & clara eſt cognitio diſtincta alicujus rei. Quod enim diſtinctè percipio, atque ab omni alio diſtinguo, illud clarè, & evidenter percipio.

6. Def. Cognitio certa eſt cognitio clara, & evidens alicujus rei neceſſariæ. Cùm enim neceſſarium ſit, quod impoſſibile eſt non eſſe; ſi clarè, & evidenter cognoſcam objectum neceſſarium: certus ſum hoc ita eſſe, nec aliter ſe habere poſſe. Ut *totum eſt majus ſua parte*.

Quælibet propoſitio duabus conſtat primis apprehenſionibus, quæ ſi fuerint claræ, & evidentes de re neceſſariâ: erit propoſitio certa, & evidens.

Diſcurſus tribus conſtat propoſitionibus, quarum tertia ex duabus prioribus tanquam principiis eruitur; quæ ſi fuerint certæ, & evidentes, erit quoque certa, & evidens tertia, modò fuerit legitimè deducta: tertia autem propoſitio certa, & evidens eſt ſcientia: duæ verò præmiſſæ principia ſcientiæ.

7. Def. principium itaque ſcientiæ eſt cognitio certa, & evidens, ex quâ alia cognitio certa, & evidens erui poteſt. Principium verò aliud eſt per ſe notum, & aliud non per ſe notum.

8. Def. Principium per ſe notum eſt cognitio certa, & evidens ſine diſcurſu, quæ nimirum ex ſola explicatione vocum certa, & evidens efficitur. Ut *totum eſt majus ſua parte. Contradictoria non poſſunt ſimul eſſe vera*, & alia hujuſmodi vulgata Axiomata. Si enim explicetur quid per (*totum*) & quid per (*partem*) intelligatur; nulla opus eſt probatione: ſed ſtatim, & neceſſariò huic propoſitioni aſſentimur (*totum eſt majus ſua parte*) quia videlicet omni probatione clarior eſſe perhibetur.

9. Def. Principium non per ſe notum eſt cognitio, quæ non eſt evidens, & certa, niſi probetur: atque ita probatione indiget. Quales ſunt omnes ferè rerum definitiones. Ut autem clariùs intelligatur hæc definitio notandum quod res quælibet ſuam habet eſſentiam, ex qua fluunt omnes ejuſdem rei proprietates. Cognitio itaque clara eſſentiæ, ſeu rei definitio eſt principium, ſeu cognitio certa, & evidens, ex quâ cognitiones certæ, & evidentes proprietatum ejuſdem rei deducuntur. Hujuſmodi autem principium, ſeu rei definitio priùs debet probari, & demonſtrari; niſi aliquando

ita fuerit clara, & facilis: ut probatione non indigeat. Quapropter ea dicitur principium non per ſe notum.

10. Def. Modus ſciendi eſt modus, quo cognitio certa, & evidens, ſeu ſcientia, ex duabus aliis cognitionibus certis, & evidentibus deducitur. Hic autem modus eſt forma ſyllogiſmi demonſtrativi, quâ ita diſponuntur præmiſſæ: ut ex ipſis concluſio certa,& evidens eruatur. Unde qui ſcientiam habet ſyllogiſmi demonſtrativi, ſcit modum ſciendi.

11. Def. Objectum ſcientiæ eſt quod ſcibile eſt, ſeu quod certò, & evidenter per Ratiocinationem, ſeu diſcurſum cognoſci poteſt. Objectum ſcientiæ aliud eſt materiale, aliud formale.

12. Def. Objectum materiale ſcientiæ, ſeu ſcibile materiale eſt illud, de quo aliquid ſciri poteſt.

13. Def. Objectum formale ſcientiæ, ſeu ſcibile formale eſt illud, quod de aliquo ſciri poteſt. Ut quia v. g. de homine ſciri poteſt quòd ſit animal, homo eſt objectum materiale ſcientiæ: animal verò eſt objectum formale. Atque ideo tot poſſunt eſſe ſcientiæ de quolibet objecto materiali ſcientiæ, quot ſunt in eo objecta formalia ſcientiæ, ſeu formalitates logicæ, aut rationes ſcibiles. Nam hæc omnia idem ſunt. De homine v. g. ſciri poteſt 1. quod ſit ani-

mal. 2. quod ſit rationalis. 3. quod animal rationale ſit ejus eſſentia. 4. quod ſit admirativus, riſibilis, diſciplinæ, & ſcientiarum capax, & Beatitudinis, quæ ſunt ejus proprietates ab illius eſſentia fluentes. Objectum ſcientiæ aliud eſt partiale, aliud totale, aliud attributionis.

14. Def. Objectum materiale totale ſunt res omnes, de quibus aliquid ſciri poteſt in aliqua ſcientia totali. Qualis eſt logica, vel Metaphiſica,

15. Def. Objectum formale totale ſunt ea omnia, quæ de ipſis rebus omnibus certò, & evidenter cognoſci poſſunt.

16. Def. Objectum partiale ſive materiale, ſive formale eſt earum rerum aliqua, vel aliquæ.

17. Def. Objectum verò attributionis, ſeu denominationis, à quo ſcilicet ſcientia denominatur, eſt illud, ad quod referuntur, & propter quod traduntur omnia, quæ in aliqua ſcientia totali tractantur. Objectum v. g. partiale materiale logicæ eſt modus ſciendi, vel methodus ſcientiæ, vel terminus logicus, aut propoſitio. Objectum partiale formale logicæ eſt quidquid de modo ſciendi, vel methodo ſcientiæ, de termino logico, vel propoſitione ſciri poteſt. Atque ideo tot ſunt ſcientiæ partiales in logica, quot ſunt in eâ concluſiones demonſtrativæ, ſeu ſcientificæ, ex quibus omnibus

ſcientia totalis logica componitur. Cúmque omnia, de quibus tractat logica, ad ens ſcibile, ut ſcibile eſt, vel tanquã ſpecies vel tanquã oppoſita referantur: ideo ens ſcibile, ut ſcibile eſt, eſt objectum attributionis logicæ, quæ eſt una ſcientia totalis unitate ſcilicet ordinis, & quæ propterea denominatur, ſeu dicitur ſcientia entis ſcibilis, ut ſcibile eſt. Finis verò logicæ eſt intellectum dirigere ad omnes ſcientias perfectè acquirendas.

18. Def. Methodus ſcientiæ eſt ordo in diſcendis, aut tradendis ſcientiis neceſſariò obſervandus. Ordo verò hic eſt, ut ſemper à ſimplicioribus, & univerſalioribus cognitionibus ad minùs ſimplices, & minùs univerſales procedatur. Cùm impoſſibile ſit habere cognitionem claram, atque diſtinctam rei compoſitæ: niſi priùs diſtinctè percipiantur ea, ex quibus ipſa componitur. Hoc exemplis manifeſtum fiet. Volo v. g. Syllogiſmi ſcientiam acquirere, & quia Syllogiſmus non eſt aliquid ſimplex, ſed compoſitum ex tribus propoſitionibus; quælibet etiam propoſitio componitur ex duobus terminis, ſive ideis, aut primis apprehenſionibus; ante omnia reſolvo, ſeu mente divido Syllogiſmum in propoſitiones; propoſitiones etiam reſolvo in terminos, & quia terminus eſt aliquid ſimplex, non autem compoſitum, quæro ſtatim definitionem termini, & proprietates illius. Deinde di-

vido terminum in ſuas ſpecies, & cujuſlibet ſpeciei definitionem quæro, & proprietates.

Conſideranda poſtmodùm propoſitio integra, quod eſt componere, ſeu methodus compoſitionis; quærenda eſt propoſitionis definitio, & proprietates: dividenda eſt quoque propoſitio in ſuas ſpecies; & cujuſlibet ſpeciei definitio, & proprietates inquirendæ. Definiendus eſt tandem ſyllogiſmus, & dividendus in ſuas ſpecies;& cujuſlibet ſpeciei definitio inquirenda, & proprietates,& hæc eſt methodus ſcientiæ, quæ conſtat (ut perſpicuum eſt) reſolutione, & compoſitione, quæ unicam ſcientiæ methodum conſtituunt, non duas: ut vulgò dicitur.

Rurſum volo ſcientiam hominis inquirere. Cùm homo ſit animal rationale; illa definitio mihi evidens, & clara eſſe nequaquam poteſt:niſi priùs clarè percipiam quid ſit animal.Neque ſcire poſſum quid ſit animal, niſi priùs ſciam, quid ſit vivens:cùm omne animal ſit vivens ſenſitivum neque ſcire quid ſit vivens ſenſitivum, niſi priùs ſciam quid ſit corpus:cùm omne vivens ſenſitivum ſit corpus.Neque ſcire poſſum quid ſit corpus,niſi priùs ſciam quid ſit ſubſtantia: cùm omne corpus ſit ſubſtantia.Neque tandem ſcire quid ſit ſubſtantia, niſi priùs ſciam quid ſit ens: Cùm omnis ſubſtantia

ſit ens. Unde manifeſtum eſt nullam prorsùs acquiri poſſe ſcientiam de homine, neque de re aliâ quacumque; cùm omnia reſolvantur in ens: niſi præcedat ſcientia entis in genere. Hinc quoque manifeſta fit ſcientiarum ſubordinatio.

19. Def. ſubordinatio enim ſcientiarum eſt dependentia unius ab alterâ ita ut una comparari nullo modo poſſit, niſi præcedat alia. Illa verò præcedere debet, cujus objectum eſt ſimplicius, & univerſalius (ut jam dictum eſt) & quia objectum logicæ eſt univerſaliſſimum, & ſimpliciſſimum omnium: ideò ſcientiæ omnes ſubordinantur logicæ. Priùs eſt enim ſcire quid ſit ens ſcibile, & quotuplex, quo modo, quo ordine, ſeu quâ methodo ſcibile ſit, quod logica demonſtrat: quàm entis ſcientiam inquirere.

Metaphyſica igitur, quæ eſt ſcientia entis in genere, ſubordinatur logicæ, quæ eſt ſcientia ſcibilitatis entis, ſeu entis ſcibilis, ut ſcibile eſt. Metaphyſicæ autem ſubordinantur cæteræ ſcientiæ omnes, phyſica nimirum, & ethica, quæ ipſi phyſicæ ſubordinatur, ſicut & Medicina, & Mathematicæ, quæ ſeparatim traduntur. Sed hæc ſatis ad ea, quæ dicenda ſunt intelligenda. Hæc enim fuſiùs explicabimus in decurſu logicæ.

PARS PRIMA LOGICÆ

DE

DIRECTIONE INTELLECTUS quoad primam mentis operationem ad omnes ſcientias perfectè acquirendas.

TRACTATUS PRIMUS.

PRÆFATIO.

Cum (ut jam dictum eſt) ſyllogiſmus componatur ex propoſitionibus; propoſitio autem ex terminis, ſive ideis, aut primis apprehenſionibus: ut ſcientiæ methodum obſervemus; neceſſariò à terminis incipiendum eſt. Poſſumus autem falli circa terminum logicum multipliciter, vel ſcilicet accipientes pro termino, quod non eſt terminus; vel tribuentes ei proprietates, quas non habet: vel ignorantes quas habet; aut numerum terminorum. Demonſtrabimus igitur quid ſit terminus logicus, & quæ ſint illius proprietates. Dividemus poſtea terminum logicum in ſuas ſpecies, & cujuſlibet ſpeciei definitionem, & proprietates pariter demonſtrabimus. Quo facto habebimus ſcientiam terminorum logicorum, ſeu primarum apprehenſionum, quæ ad ſcientiam idoneæ

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ſunt, ſimulque rerum omnium ſcibilium tot namque ſunt ſcibilia, quot ſunt termini logici, neque plura, neque pauciora & ſic directus erit intellectus quoad primam mentis operationem ad omnes ſcientias perfectè acquirendas.

CAPUT I.

Termini Logici Definitio, Atque Diviſio.

TErminus logicus definitur à pluribus (*quidquid poteſt eſſe ſubjectum, vel prædicatum in propoſitione*) ſed hæc definitio non eſt legitima: cùm ea ſit potiùs diviſio, quàm definitio. Definitio enim debet eſſe una, atque omni definito convenire: hæc autem non eſt una, ut perſpicuum eſt. Maximè verò enitendum eſt, ut non admittatur aliqua definitio inepta, præſertim in logica: cum definitiones logicæ ſint omnium primæ. Nam error quilibet in principio multorum deinde errorum cauſa eſſe perhibetur.

Terminus Logicus definitur ab aliis (*Illud in quod reſolvitur propoſito*) ſed quia finis logicæ non eſt docere quomodo reſolvatur, ſed quomodo fieri poſſit propoſitio; omneſque definitiones logicæ ad finem ab ea intentum accommodatæ tradendæ ſunt: idcirco hæc definitio non eſt apta, maximè cùm priùs componi propoſitionem ex ter-

minis neceſſe ſit, quam in terminos reſolvi: ut manifeſtum eſt.

Vera igitur Definitio termini logici hæc eſt (*Terminus logicus eſt illud, ex quo fieri poteſt propoſitio logica*) conſtat enim quælibet propoſitio duobus terminis, quibus quaſi limitibus clauditur, ac terminatur. Unde etiam dicuntur termini? Propoſitionem verò logicam voco cognitionem certam, & evidentem, quæ vel ſcientia eſt, aut principium ſcientiæ.

Proprium termini logici eſt quod ſit idea videlicet, prima apprehenſio. Cùm enim propoſitio ſit quidam actus, ſeu quædam cognitio intellectûs, perſpicuum eſt quod ea vocibus, aut rebus non componitur: ſed ideis, ſeu primis apprehenſionibus. Omnis autem cognitio, quatenus repræſentat objectum cognitum, dicitur idea.

Res quidem ſunt objecta idearum, nomina verò, ſeu voces, quamvis non ſint termini logici, habent nihilominùs ex hominum inſtituto quod ſint loco terminorum; ita ut quidquid dicitur de termino vocali, ſeu potiùs de nomine, quatenus termini locum obtinet, intelligatur de termino mentali ſeu idea & ſicut ideæ repræſentant objecta cognita; ita etiam nomina ſint ſigna rerum, prout ipſæ variis ſubijciuntur ideis atque ideo tot ſunt nomina ejuſdem rei, quot ſunt illius ideæ. Idem homo v. g. dicitur ani-

mal, dicitur rationalis, Riſibilis, admirativus, & multis hujuſmodi appellatur nominibus: quot variis conceptibus ſubjacet, & ideis repræſentatur. Hæc ſi benè intelligantur, non diſplicet vulgata diviſio termini logici: cùm ea ſit his, quæ modò diximus valdè conſona.

Dividitur itaque terminus logicus in mentalem, qui etiam terminus formalis dicitur, quia ipſe ſolus veram habet rationem, ſeu formam, vel eſſentiam termini logici. In objectivum, ſeu materialem, quia eſt objectum, ſeu materia; circa quam verſatur idea ſcilicet, res ipſa, quam idea repræſentat & in vocalem, ſeu ſignificativum, quia eſt ſignum utriuſque objectivi nimirum, & mentalis.

Quia verò terminus mentalis, ſeu idea non poteſt diſtinctè percipi, neque definiri, niſi per ordinem ad objectum, cujus eſt idea; neque terminus objectivus, niſi per ordinem ad ideam, cujus eſt objectum: nec denique terminus vocalis, niſi per ordinem ad ideam, ſimul & objectum, quod ſignificat, hinc factum eſt ut alii terminum vocalem definierint, alii terminum mentalem, ſeu ideam, nos verò primùm ideam definiemus, deinde ideam in ſuas ſpecies dividemus, & cujuſlibet ſpeciei definitionem, & proprietates demonſtrabimus.

Poſteà quænam idea ſit terminus logicus,

ejuſque proprietates in communi docebimus ac tandem terminum logicum mentalem in ſuas ſpecies dividemus, & cujuſlibet ſpeciei definitionem, & proprietates pariter aſſignabimus: atque in omnibus ſcientiæ methodum obſervabimus. Idem prorſus fiet de termino objectivo, & ne aliqua remaneat obſcuritas, aut confuſio; ſed omnia certa ſint, & evidentia, ut ſcientia poſtulat: dum de propoſitione agemus, eam per ordinem ad voces, & nomina definiemus. Alioquin innumeræ paſſim oriuntur æquivocationes in tota Philoſophia, præſertim in logica, & Metaphyſica: dum tribuitur nomini, quod erat tribuendum objecto, vel tribuitur objecto, quod erat tribuendum Ideæ.

CAPUT II.

De Idea.

Quoniam terminus logicus mentalis eſt quædam ſpecies ideæ; definienda eſt primùm idea in genere, atque in ſuas ſpecies dividenda, & cujuſque ſpeciei definitio, & proprietates aſſignandæ, quo facto, quænam ſit ſpecies ideæ terminus logicus mentalis, & quæ ſint illius proprietates demonſtrabimus.

Idea eſt cognitio objecti repræſentativa, ſicut enim oculus hominem videndo, vel aliud quidpiam, illius imaginem efformat:

Ita intellectus cognoſcendo, id quod apprehendit, repræſentat. Cognitio igitur, quatenus eſt objecti cogniti repræſentativa, dicitur idea. Dividitur autem idea in complexam, ſeu compoſitam, & in ſimplicem, ſeu incomplexam.

Idea complexa, ſeu compoſita alia eſt, quæ repræſentat objectum cum affirmatione, vel negatione. *Ut homo vincit, homo non currit, homo eſt animal, homo non eſt albus* hæc Idea eſt judicium, ſeu enuntiatio, aut propoſitio, cujus proprium eſt quod ſit vera, vel falſa.

Vera Idea eſt, quæ eſt conformis objecto, ſeu quæ repræſentat objectum, ut eſt; falſa verò idea eſt, quæ non eſt conformis objecto, ſeu quæ non repræſentat objectum, ut eſt.

Alia eſt idea complexa, quæ multa repræſentat, quæ aggregatione tantùm ſunt unum, ut idea *Reipublicæ*, *Populi*, *Civitatis*, *Horologii*, & omnium artefactorum.

Alia eſt idea complexa, quæ multa repræſentat, quæ concretione, ſeu per accidens tantùm ſunt unum. Ut idea, quæ repræſentat ſimul ſubſtantiam, ſeu ſubjectum, & accidens. Ut *quantum*, *quale*, *album*, & *nigrum*.

Alia denique eſt idea complexa, quæ plures ſubſtantias diverſas repræſentat. Ut *hominem*, & *leonem* ſimul: vel plura acci-

dentia diverſa. Ut *quantitatem*, & *qualitatem* ſimul.

Hujus autem triplicis ideæ complexæ proprium eſt 1. quod quælibet non ſit una, ſed multiplex idea. Quia entia diverſa unâ, & eâdem ideâ repræſentari non poſſunt 2. quod ſit neceſſariò confuſa. Nam ut vulgò dicitur, *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*.

Hinc perſpicuum eſt omnem ideam, quæ repræſentat objectum, ut percipitur à ſenſibus, eſſe confuſam. 1. quia ſenſus ipſam ſubſtantiam non percipiunt, ſed ſola accidentia ſubſtantiæ. 2. quia non unum tantùm, ſed plura ſimul, ac ſemper apprehendunt accidentia. Nam viſus v. g. non poteſt apprehendere *colorem*, niſi ſimul apprehendat *quantitatem*, *extenſionem*, & *motum*, ſi moveatur objectum: vel *quietem*, ſi quieſcat. Tactus ſimiliter non poteſt percipere *duritiem*, niſi ſimul apprehendat *aſperitatem*, aut *lævitatem*, *extenſionem* etiam, & *motum*, vel *quietem* & ſic de aliis ſenſibus ſed hæc ſatis de ideâ complexâ.

CAPUT III.

De Ideâ Incomplexâ.

IDea incomplexa, quæ ſimplex apprehenſio dicitur, eſt ea, quæ ſine affirma-

tione, & negatione unum tantùm objectum repræſentat vel unam videlicet ſubſtantiam, vel unum accidens, vel ſi multa repræſentet, ea ſimilia ſunt neque enim opus eſt diversâ ideâ, vel diversâ imagine ad repræſentandum ea, quæ diverſa non ſunt ſed una, & eadem idea leonis v. g. omnem leonem, una & eadem idea albedinis omnem albedinem ſimul repræſentare poteſt.

Proprium hujus ideæ eſt quòd ſit una, & neceſſariò vera quia neque affirmat, neque negat; ſed tantùm repræſentat quod ei objicitur. Cùm enim intellectus ſit potentia neceſſaria ſicut oculus, vel ſpeculum; is non poteſt non repræſentare quod ei objicitur, & eo modo, quo objicitur ſi confusè obijciatur, illud confusè repræſentabit: ſi clarè obijciatur, clarè etiam repræſentabit & ideò hæc idea poteſt eſſe clara, vel confuſa.

Sicut enim ſpeculum idem objectum modò clarè, modò confusè repræſentat: ſi nimirum admoveatur, aut removeatur, inclinetur, aut declinetur objectum, aut lumen, vel ſpeculum. Ita intellectus, cùm ſit potentia neceſſaria, idem objectum modò clarè, modò confusè, aut partim clarè, & partim confusè repræſentare poteſt, ſi videlicet circa idem objectum diverſimodè applicetur. Poteſt autem homo, cùm ſit liber,

ſuum intellectum prout libuerit, applicare, ut perſpicuum eſt.

Quomodò autem idea poſſit fieri clara, quæ priùs erat confuſa,aut intellectus idem objectum modò clarè , modò confusè repræſentare explicabimus poſteà; priùs enim quotuplex ſit idea ſimplex confuſa dicendum eſt.

Idea confuſa ſeu obſcura eſt duplex.Alia eſt ſiquidem confuſa nominis, alia confuſa rei idea.

Idea confuſa nominis duplex eſt. Prima eſt, quæ nomen repræſentat , cujus ignoratur ſignificatio.Secunda eſt, quæ nomen repræſentat cujus ſignificatio eſt indeterminata , per quod ſcilicet diverſæ res ſignificari poſſunt ut nomen (*Canis*) quod poteſt ſignificare *Canem cæleſtem* , ſeu *ſidus*; vel *Canem Marinum* ſeu piſcem: vel *Canem Terreſtrem.*

Prima fiet clara, ſi dum nomen profertur, objiciatur ſenſibus res per nomen ſignificata. Sic enim ita conjungitur idea nominis cum ideâ rei ſignificatæ ; ut quotieſcumquè intellectus efformat ideam nominis, ſimul, ac ſemel efformet ideam rei per nomen ſignificatæ.Sic autem docentur pueri omnium nominum ſignificationes dum nempe dicitur eis *pomum*, ac ſimul pomum oſtenditur aut ſi (*gladius*) dicatur gladius ſtatim oſtenditur & ſic de cæteris.

Quod ſi objectum non poſſit oſtendi, proferenda eſt ſtatim definitio rei per ordinem ad ſenſus, qui cùm non poſſint percipere, niſi accidentia; ea debet definiri per accidentia propria, quorum collectio ipſam rem diſtinguit ab omni alia. Ut ſi quando proferam illam vocem (*homo*) ille, cui loquor, non intelligat: ſtatim dicam *homo eſt illud, quod ſentit, & ratiocinatur*. Hæc definitio vocatur definitio nominis, aut idea clara nominis. Quia nempe, dum conjungitur cum ideâ confuſâ nominis, tunc idea nominis, quæ priùs erat confuſa, fit clara ut perſpicuum eſt.

Si verò ſignificatio nominis ſit indeterminata; ut vox (*canis*) quæ ſignificare poteſt *Canem cæleſtem*, vel *Canem marinum*, vel *Canem terreſtrem*: ea debet ſtatim determinari ad unum ſignificandum dicendo ſcilicet, per *Canem* intelligo *Canem marinum*, ſeu piſcem. Quotieſcumque igitur in diſputatione profertur nomen, cujus ignoratur ſignificatio, vel in quo latet aliqua æquivocatio; cùm nempè ſignificare poteſt objecta diverſa: ſtatim quid per tale nomen intelligatur, inquirendum eſt, neque enim de vocibus, ſed de rebus diſputandum eſt.

Idea rei confuſa eſt etiam duplex. Alia eſt enim confuſa, quia eſt indeterminata. Indeterminata verò idea eſt, quæ objectum indeterminatum, & vagum repræſentat, ut

aliquis homo , aliquod ens, aliqua ſubſtantia. Proprium eſt hujus ideæ, quod non poſſit fieri clara , ut patet. Neceſſe eſt igitur, ut idea non ſolùm ſit incomplexa ; verùm etiam determinata , ſeu objecti determinati repræſentativa : ad hoc ut poſſit fieri clara.

Alia verò idea rei confuſa eſt ea , quæ; cùm ſit incomplexa , & determinata , totum objectum ſimul, ac totaliter repræſentat nam ſicut oculus uno intuitu totam imaginem clarè videre non poteſt , ſed opus eſt viſione multiplici ; ut eam diſtinctè percipiat : ut videlicet modò caput , modò oculum , modò pedem , aut manum, & ſingula membra ſeparatim intueatur ; & cujuſque coloris,aut umbræ applicationem,vel diſtributionem , & ſingulorum membrorum juſtam proportionem : ſic intellectus totum objectum unâ ideâ clarè repræſentare non poteſt ; ſed opus eſt , ut multas ideas diſtinctas, & inadæquatas efformet , quæ videlicet totum quidem objectum , non tamen totaliter ſecundùm omnes reſpectus repræſentant.

Fiet autem hæc idea partim clara , partim confuſa ; ſi cum una , vel duabus ideis diſtinctis ejuſdem objecti conjungatur,fiet verò totaliter clara , ſi cum omnibus ideis diſtinctis , quæ de eodem objecto efformari poſſunt conjungatur. Id exemplo ſequenti

patebit clariùs. Si enim ſupponam offerre ſe oculis meis hominem, ſtatim confuſam hominis efformabo ideam, quam ſi claram effici voluero, eundem hominem ſub diverſo reſpectu conſiderabo: vel ſcilicet reſpectivè ad ſenſationem, tanquam videlicet principium ſenſationis, ſeu animal. Deinde hanc Ideam diſtinctam animalis conjungam cum ideâ hominis, dicendo mentaliter homo eſt animal: & tunc idea hominis erit partim clara, & partim confuſa. Poſteà hominem conſiderabo reſpectivè ad ratiocinationem, nimirum tanquam principium ratiocinationis, ſeu rationalem; hanc ideam pariter conjungam cum ideâ hominis, dicendo mentaliter homo eſt rationalis: & tunc idea hominis erit magis clara, quàm antea. Similiter faciam de omnibus ideis diſtinctis, quæ poſſunt efformari de homine: quo facto idea hominis erit totaliter clara. Quot verò ideæ diſtinctæ de quolibet objecto efformari poſſint; videbimus poſteà. Nunc cæteras ideæ incomplexæ ſpecies proſequamur.

CAPUT IV.

De cæteris ideæ ſpeciebus.

IDea ſimplex alia eſt contingens, alia neceſſaria. Idea contingens eſt ea, quæ repræſentat objectum contingens, quod ſci-

licet poteſt eſſe, & non eſſe. Ut idea petri, vel hujus hominis. Proprium hujus ideæ eſt, quod poſſit eſſe clara non tamen certa, niſi pro unico inſtanti. Cùm quolibet inſtanti mori petrum, & non eſſe poſſibile ſit.

Idea verò neceſſaria eſt ea, quæ repræſentat objectum neceſſarium, quod ſcilicet impoſſibile eſt non eſſe. Nam licet omnis idea ſit abſolutè contingens, ut eſt quidam actus intellectus; reſpectivè tamen ad objectum neceſſarium, quod repræſentat, ſeu repræſentativè eſt neceſſaria. Proprium eſt hujus ideæ, quod poſſit eſſe clara, & certa ſi nempe conjungatùr cum ideâ clarâ ejuſdem objecti. Idea enim clara eſt ea, quæ clarè repræſentat objectum. Quapropter ſi objectum fuerit neceſſarium; illud clarè repræſentabit neceſſarium, quod ſcilicet impoſſibile eſt aliter ſe habere: & ſic fiet ſimul clara, & certa.

Dividitur tandem idea incomplexa in ſingularem, & particularem, in univerſalem potentia, & univerſalem actu.

Idea ſingularis eſt ea, quæ objectum ſingulare determinatum repræſentat. Ut hic, vel ille homo, *Petrus*, vel *Paulus*: hoc, vel *illud individuum*.

Idea particularis eſt ea, quæ objectum ſingulare indeterminatum repræſentat. Ut *aliquis homo*, *aliquod individuum*, *aliqua*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Albedo, vel *nigredo*, *quoddam frigus*, vel *quidam calor*. Et ideò dicitur individuum vagum, & indeterminatum.

Idea univerſalis potentiâ eſt ea, quæ multa ſimilia repræſentare poteſt. Ut *homo*, *calor*, *frigus*, *albedo*, &c.

Idea univerſalis actu eſt ea, quæ multa ſimilia repræſentat actualiter. Ut *omnis homo*, *omnis leo*, *omnis calor*.

Commune eſt quatuor iſtis ideis, quod ſint unius, & ejuſdem objecti idea. Si enim v. g. conſideretur homo reſpectivè ad ea, quæ ipſi contingunt accidentia determinata, per quæ differt ab omni alio homine; quod ſit videlicet hîc, vel illîc cum hac vel illâ quantitate, vel qualitate, & cæteris accidentibus determinatis: homo ſic conſideratus dicitur homo ſingularis ab omni alio differens, hoc individuum hominis; & ejus idea ſingularis, quæ nimirum repræſentat objectum ſingulare ab omni alio differens.

Si conſideretur cum accidentibus indeterminatis, quod v. g. ſit alicubi, cum aliqua quantitate, aut qualitate, & cæteris accidentibus indeterminatis; dicitur particularis, aliquis homo, individuum vagum, & indeterminatum: & ejus idea particularis, indeterminata, & vaga.

Si denique conſideretur non quidem reſpectivè ad accidentia; ſed ut unus homo diſtinctus ab omni alio, dicitur individuum

ſimpliciter, ſeu homo ſingularis ab omni alio diſtinctus: & ejus idea ſimpliciter ſingularis, quæ nimirum repræſentat objectum ſingulare non quidem ut diverſum ſed ut diſtinctum ab omni alio. Aliud eſt enim eſſe diverſum, aliud verò eſſe diſtinctum, omne ſiquidem, quod eſt diverſum, ſeu differens, eſt diſtinctum ab eo, à quo differt; ſed non omne diſtinctum eſt diverſum: quin imò ea, quæ tantùm diſtinguuntur inter ſe, & non differunt, ſunt ſimilia.

Quapropter cùm hujuſmodi idea repræſentet hominem ſingularem omnibus aliis ſimilem: omnem, & quemlibet hominem, *ut homo eſt*, pariter repræſentare poteſt, ut manifeſtum eſt. Atque ideo hæc idea, licèt ea ſit ſingularis actu, eſt tamen univerſalis potentiâ. Erit autem univerſalis actu, ſi actualiter repræſentet omnem hominem. Si v. g. dicatur mentaliter, *omnis homo.* Vel *omnis homo diſtinctus ab omni alio eſt animal.*

Cæterum omnes hujuſmodi conſiderationes diverſæ ejuſdem objecti, de quibus in hoc capite, & præcedenti loquuti ſumus, vocantur abſtractiones intellectûs. Quia nimirùm intellectus abſtrahit, & quaſi ſeparat ſuo modulo, ac dividit objectum prorſus indiviſum; dum varias, & inadæquatas unius, & ejuſdem objecti efformat ideas, eo modo, quo diximus. Dicuntur

etiam præciſiones formales logicæ, ſeu diverſi conceptus ejuſdem rei.

Proprium autem ideæ ſingularis, ſi ſingulare, quod repræſentat, fuerit contingens, eſt quod poſſit eſſe clara, non tamen certa; niſi pro eo inſtanti, quo ſenſibus clarè percipitur objectum, ſicut de ideâ contingenti jam dictum eſt.

Proprium eſt ideæ particularis, quod non poſſit eſſe clara, quia eſt indeterminata, & ideò neceſſariò confuſa.

Proprium ideæ univerſalis potentiâ eſt multiplex. Primum eſt, quod poſſit eſſe clara; cùm ea ſit unius objecti determinati idea. Secundum quod poſſit etiam eſſe certa ſimpliciter, & pro ſemper; quatenus ſcilicet eſt univerſalis potentiâ, & omnem hominem repræſentare poteſt: & eſſe idea entis neceſſarii. Omne ſiquidem univerſale eſt neceſſarium, ut videbimus dum de termino objectivo tractabimus. Tertium eſt, quod ea ſit indifferens ad multa repræſentanda, vel unum tantùm ſingulare differens ab omni alio, vel particulare & ſic fieri poſſit univerſalis actu, vel particularis, aut ſingularis repræſentans ſcilicet ſingulare ab omni alio differens: ſi nempe conjungatur cum idea ſingulari, vel particulari, vel univerſali.

Homo v. g. ſeu potiùs idea hominis eſt univerſalis potentiâ ſi mentaliter dicatur

(*omnis*

(*omnis homo*) erit univerſalis actu : atque omnem hominem actualiter repræſentabit. Si verò dicatur mentaliter (*aliquis homo*) erit particularis. Si denique dicatur mentaliter (*hic homo*) tunc erit ſingularis , & unum tantùm repræſentabit ab omni alio differens. Quando autem conjungitur cum ideâ particulari , vel ſingulari , aut certè minùs univerſali, tunc dicitur contrahi, vel conſtringi. Hinc dicitur idea univerſalis potentiâ totum potentiale ; quia nempe fieri poteſt multa.

CAPUT V.

De Proprietatibus Termini Logici Mentalis.

Eſſentia , ſeu definitio termini logici mentalis eſt quod ſit illud , *Ex quo fieri poteſt propoſitio logica mentalis*. Unde prima illius proprietas eſt,quod ſit ideà ; quæ poteſt eſſe evidens , & certa. Cùm enim terminus logicus ſit principium propoſitionis logicæ , ſive illud , ex quo fieri poteſt propoſitio logica ; propoſitio autem logica ſit principium Syllogiſmi demonſtrativi , cujus concluſio eſt evidens , & certa : à fortiori propoſito priùs eſſe debet evidens, & certa, quàm ipſa concluſio , cujus eſt principium; terminus quoque priùs eſſe debet evidens, & certus , quam propoſitio. Nam propter

quod unumquodque tale, & illud magis. Sive igitur conſideretur terminus logicus quatenus ex eo fieri poteſt concluſio, ſive alia quæcumque Syllogiſmi demonſtrativi propoſitio, eſt idea quæ poteſt eſſe evidens, & certa, ut manifeſtum eſt.

Hinc evidenter colligitur terminum logicum mentalem non eſſe ideam complexam, quæ ſcilicet repræſentat objectum cum affirmatione, vel negatione. Quia idea hujuſmodi eſt propoſitio, non terminus.

Neque eſſe ideam, quæ repræſentat concretum ex ſubjecto, & accidente. 1. Quia non eſt una, ſed duplex, aut multiplex idea. 2. Quia idea hujuſmodi non poteſt eſſe clara, neque certa. Clara quidem eſſe non poteſt, quia accidens, & ſubjectum ſunt entia diverſa, quæ clarè ſimul repræſentari non poſſunt. Certa quoque eſſe nequit, quia eſt idea entis contingentis. Omne ſiquidem accidens eſt contingens ſubſtantiæ.

Neque poteſt eſſe idea, quæ repræſentat diverſas ſubſtantias, aut diverſa accidentia ſimul. Quia neque una, neque clara eſſe poteſt propter eamdem rationem. Neque idea indeterminata: quia hæc eſt neceſſariò confuſa. Neque idea entis contingentis: quia non poteſt eſſe certa. Neque proinde poteſt eſſe idea ſingularis: cùm ſingulare, quod ea repræſentat, eſt contingens. Nec denique particularis: quia hæc eſt indeterminata, & ideò confuſa.

Proprium itaque termini logici mentalis eſt. 1. Quod ſit idea, quæ poteſt eſſe evidens, & certa. 2. Quod ſit idea incomplexa, quæ ſine affirmatione, & negatione unum tantùm objectum determinatum repræſentat, vel ſi multa repræſentet, ea ſimilia ſunt. Quia hæc tantùm, cùm ſit una, & neceſſariò vera, poteſt eſſe clara. 3. Quod ſit idea entis neceſſarii repræſentativa: quia hæc ſola poteſt eſſe ſimpliciter certa. Omnis ergo terminus logicus mentalis eſt idea incomplexa, determinata, & neceſſaria, ſeu entis neceſſarii repræſentativa. Quia hæc dumtaxat poteſt eſſe clara, & certa: ut perſpicuum eſt.

CAPUT VI.

De Termino Logico Objectivo Seu De Ente Scibili.

EX his, quæ jam dicta ſunt, evidens eſt terminum logicum objectivum non eſſe 1. non ens. Quia non entis nulla eſt eſſentia, nullæ ſunt proprietates, nulla idea, vel ſcientia. Non ens autem, ut *non homo, non lapis*.

2. Non eſſe ens fictitium, ſeu Chimæricum, ut *homo leo*. Quia hujuſmodi nulla eſt idea præter ideam nominis.

3. Non eſſe ens infinitum, id eſt, indefinitum, ſeu indeterminatum, ut *aliquis ho-*

mo, aliquod ens. Quia idea hujuſmodi eſt indeterminata,& neceſſariò confuſa.

4. Non eſſe ens contingens, ut *hic homo, hic lapis, hic color, hæc albedo.* Quia idea hujuſmodi non poteſt eſſe certa.

5. Non eſſe ens complexum, vel ſcilicet aggregatum per accidens, ut *exercitus, populus, Horologium, indumentum*, & omne artefactum: vel concretum ex ſubjecto, & accidente, ut *quantum, quale, album, & nigrum.* Quia idea hujuſmodi neque una, neque clara, neque certa eſſe poteſt.

Proprium eſt igitur termini logici objectivi: ſeu entis ſcibilis, quod ſit ens verum, incomplexum, determinatum, & neceſſarium.

CAPUT VI.

De Neceſſario.

ANtequàm dividamus terminum logicum in ſuas ſpecies, cùm omnis terminus logicus objectivus ſit ens neceſſarium, omniſque terminus logicus formalis ſit idea entis neceſſarii: priùs quid,& quotuplex ſit neceſſarium demonſtrare neceſſe eſt.

Neceſſarium eſt, quod ita exiſtit, ut non poſſit non exiſtere.

Neceſſarium aliud eſt abſolutè, ſimpliciter, & omnimodè neceſſarium, quod ita exiſtit; ut nunquam potuerit non exiſtere

quia videlicet eſſentialiter exiſtit; cujuſmodi eſt ſolus Deus Benedictus in æternum. Unde quamvis Deus ſit ens ſingulare, eſt tamen omnium entium maximè ſcibile, propter infinitas, & neceſſarias perfectiones, quas habet.

Aliud eſt neceſſarium, quod cùm potuerit non fieri, & non exiſtere; cùm tamen ſemel factum eſt, neceſſariò exiſtit: ita ut nullum ſit agens naturale tantæ virtutis, aut potentiæ, quod poſſit illud corrumpere, vel deſtruere. Sic quælibet anima rationalis, quilibet Angelus eſt ens neceſſarium; ſic terræ globus, quodlibet elementum totale: ſic cœlum, ſol, luna, quilibet planeta, & quælibet ſtella eſt ens ſingulare neceſſarium; ac proinde ens ſcibile etiam in individuo. Quia hæc neceſſitas verè ſufficit ad ſcïentiam. Nam de hâc terrâ, quam pedibus calcamus, verè demonſtrari poteſt, quod ea ſit in mundi centro collocata, quod ſit ſphærica, & quod immota permaneat, & multa alia. Et ſic de qualibet ſtellâ fieri poteſt, & de quolibet planetâ.

Notandum tamen eſt quod, etiamſi quælibet anima rationalis, & quælibet ſtella in ſingulari ſit objectum ſcientiæ; nihilominùs cùm multæ ſint animæ rationales ſimiles, & ſtellæ etiam ſimiles: atque eorum, quæ non differunt, ſit una, atque eadem idea, eademque ſcientia; ita ut qui habet

unius ſcientiam, omnium ſimilium ſcientiam ipſum habere neceſſe ſit. Ideò perinde eſt ſive in ſingulari, ſive in ſpecie iſta conſiderentur: modò non conſiderentur reſpectivè ad ea, per quæ differunt, accidentia.

His exceptis, cùm cætera omnia ſingularia ſint contingentia, & corruptibilia; ita ut quolibet inſtanti poſſint non exiſtere: propterea objectum ſcientiæ ea eſſe non poſſunt in ſingulari, ſed in ſpecie conſideranda ſunt. Neceſſe eſt enim omnes rerum creatarum ſpecies conſervari per generationem, neque eſt ullum agens naturale tantæ virtutis, aut potentiæ, quod poſſit hoc impedire: vel omnes homines v.g. vel omnes leones ſimul deſtruere. Et ideò quandiu erunt homines ſcientias inquirentes, tamdiu erunt leones, & Boves; & alia ejuſdem ſpeciei; ſemperque erit verum, & neceſſarium quod leo ſit in ſpecie, id eſt, quod ſint leones: non tamen hic, vel ille, & quod *omnis leo ſit animal*; non conſiderando leonem in individuo, ſed in ſpecie.

Idem dicendum de Accidente. Cùm enim neceſſe, ſit ut jam dictum eſt, eſſe omnes ſpecies ſubſtantiæ: neceſſe eſt pariter eſſe omnes ſpecies accidentis, non tamen hoc, vel illud accidens.

Obijc. neceſſarium eſt quod *hic homo ſit animal*. Nihil eſt enim magis neceſſarium huic homini, quàm eſſentia illius: ergo de

ſingulari contingenti poteſt dari ſcientia.

Reſp. diſt. ant. neceſſarium eſt, ſi ſupponatur hic homo exiſtere, quod ſit animal, Conc. ſine tali ſuppoſitione neg. & neg. conſeq. nam cùm illa ſuppoſitio poſſit eſſe: & non eſſe; neque neceſſarium ſit hunc hominem eſſe: neceſſarium non eſt quod ſit animal. Quapropter non poteſt dari certa cognitio, quod hic homo ſit animal, niſi pro unico inſtanti; & ſi hic homo moriatur non ſolùm non erit certa, ſed erit falſa cognitio, *quod ſit animal*. Ac proinde de ſingùlari contingenti non datur ſcientia, quæ non eſt niſi de rebus perpetuis, & neceſſariis.

CAPUT VIII.

Termini logici diviſio.

TErminus logicus alius eſt ſubjicibilis, alius prædicabilis.

Terminus ſubjicibilis eſt illud, quod poteſt eſſe ſubjectum in propoſitione logicâ.

Terminus prædicabilis, eſt illud, quod poteſt eſſe prædicatum in propoſitione logicâ.

Subjectum eſt illud, de quo aliquid prædicatur, ſeu dicitur, vel affirmatur. Prædicatum eſt illud, quod de alio prædicatur. Ut in hac propoſitione (homo eſt animal) homo eſt ſubjectum, animal verò prædicatum. Prædicatio eſt unio prædicati

cum ſubjecto, quæ exprimitur per verbum, eſt, copulam ſcilicet terminorum.

Hoc autem intelligendum eſt de prædicato mentali, ſeu potiùs de ideâ prædicati objectivi, & de prædicatione mentali. Nam prædicatum objectivum uniri ſubjecto non poteſt: cùm ſit omninò idem cum illo. Dicendo nempe mentaliter (*homo eſt animal*) conjungis ideam animalis cum ideâ hominis. Cæterùm prædicare dicere, affirmare mentaliter ſcilicet, noſſe: concipere aliquid de aliquo, idem omnino ſunt.

Proprium eſt termini ſubjicibilis objectivi eſſe objectum materiale ſcientiæ, ſeu ens ſcibile materiale, de quo nimirum aliquid ſciri poteſt.

Proprium eſt termini prædicabilis objectivi eſſe objectum formale ſcientiæ, quod ſcilicet de alio ſciri poteſt, ſeu ſcibile formale.

Proprium eſt termini logici prædicabilis mentalis eſſe ideam entis ſcibilis formalis, quæ dicitur ſcientia formalis in potentiâ. Quia nimirum erit actualiter ſcientia, ſi conjugatur (ut modò explicabimus) cum idea entis ſcibilis materialis.

Proprium denique termini ſubjicibilis mentalis eſt, quod ſit idea entis ſcibilis materialis, quæ idea ſcientia materialis in potentiâ dici poteſt. Quia nempe, ſi conjungatur per prædicationem mentalem cum

ideâ entis ſcibilis formalis, ex utraque fiet una ſcientia. Id autem fieri debet in concluſione ſyllogiſmi demonſtrativi. Quia nimirum probari debet ſcibile formale eſſe idém cum ſcibili materiali.

In hac v. g. propoſitione (*homo eſt animal*) *homo* eſt objectum materiale ſcientiæ; *animal* verò objectum formale ſcientiæ: idea hominis eſt ſcientia materialis in potentiâ; ſicut idea animalis eſt ſcientia formalis in potentiâ; erit autem actualiter ſcientia, ſi probetur animal eſſe idem cum homine: idque fieri debet per ſyllogiſmum demonſtrativum hoc modo. Omne, quod ſentire poteſt, eſt animal; ſed omnis homo ſentire poteſt: ergo omnis homo eſt animal. Tunc enim ex ideâ animalis ſic conjunctâ cum ideâ hominis in concluſione fit una, & vera ſcientia.

CAPUT IX.

De proprietatibus entis ſcibilis materialis ſeu termini ſubjicibilis objectivi.

Commune eſt omni termino objectivo tam ſubjicibili, quàm prædicabili: ſeu, quod idem eſt, tam enti ſcibili materiali, quàm enti ſcibili formali eſſe ens incomplexum, determinatum, & neceſſarium (ut jam demonſtratum eſt) quod

enim proprium eſt generi ſingulis ſpeciebus eidem generi ſubjectis commune eſt.

Proprium eſt autem omni termino ſubjicibili objectivo, ſeu objecto materiali ſcientiæ eſſe ens completum, & ſubjicibile tantùm, id eſt, unius eſſentiæ completæ, quod poteſt tantùm eſſe ſubjectum, nunquam verò prædicatum in propoſitione logicâ. Id verò enti ſingulari, ſi fuerit neceſſarium, convenit; ſi autem non fuerit neceſſarium in individuo: ſoli ſpeciei tam ſubſtantiæ, quàm accidentis proprium eſt.

Eſt igitur ens ſcibile materiale aut ſingulare neceſſarium, aut ſpecies. Nam ſingulare neceſſarium eſt ens completum unius videlicet eſſentiæ completæ, quod poteſt tantùm eſſe ſubjectum, numquam verò prædicatum in propoſitione logica. Singulare ſiquidem definitur id, *quod de nullo prædicabile eſt*, Quod intelligendum eſt de ente ſingulari completo. Species etiam quælibet tam ſubſtantiæ, quàm accidentis eſt ens neceſſarium, & completum, ſive unius eſſentiæ completæ, quod poteſt tantùm eſſe ſubjectum, numquam verò prædicatum in propoſitione logica, id eſt, quod eſt duntaxat ſcibile materiale, numquam verò eſſe poteſt ſcibile formale. Hæc autem ſpecies, quam deinceps ſubjicibilem appellabimus, ea eſt, quæ uno tantùm nomine confusè exprimitur, & ſignificatur. Ut *ho-*

me, leo, animal, corpus, ſubſtantia, Albedo, nigredo, &c.

Quotuplex verò ſit ſcibile materiale, ſeu quotuplex ſit ſingulare neceſſarium, & completum, & quotuplex ſit ſpecies tam ſubſtantiæ, quàm accidentis demonſtrabimus, dum de Cathegoriis, ſeu prædicamentis agemus. Ad hoc enim tantùm inſerviunt prædicamenta, ut omne ſcibile materiale reperiatur, & innoteſcat.

Probatur autem quòd ſpecies, quam vocamus ſubjicibilem, & quæ vulgato nomine confusè ſignificatur, non poteſt eſſe prædicatum logicum, ſeu ſcibile formale. Quia prædicatum logicum debet eſſe clarius ſubjecto, de quo prædicatur, & de quo ſcibile eſt. Alioquin propoſitio eſſet idemtica, nugatoria, & inepta prorſus ad ſcientiam. Unde rejiciendæ ſunt omnes hujuſmodi propoſitiones, *hic homo eſt homo. Aliquis homo eſt homo. Omnis homo eſt homo. Omne animal rationale eſt homo. Omne Riſibile eſt homo*, Quia, ut jam dictum eſt, prædictum non eſt clarius ſubjecto. Tum quod animal rationale, aut riſibile de homine ſcibile ſit: non autem homo de animali, neque de rationali, & riſibili. Quàpropter hujuſcemodi propoſitiones ſunt ad ſcientiam ineptæ. Ac proinde ſpecies ſubjicibilis non poteſt eſſe prædicatum logicum

Obj. 1. Rectè dici poteſt, Petrus eſt ho-

mo. Paulus eſt homo. Atqui homo eſt ſpecies ſubjicibilis: ergo ſpecies ſubjicibilis eſt etiam prædicabilis.

Reſp. neg. maj. nam Petrus, & hoc individuum hominis idem plane ſignificant; neque prædicatum eſt clarius ſubjecto: neque quiſpiam dubitat, vel inquirit, aut ſcire deſiderat utrum. *Petrus ſit homo*; ſed *quid ſit homo*. Quapropter hæc propoſitio eſt identica, & negatoria.

Objic. 2. Animal eſt quædam ſpecies viventis, atqui rectè dicitur *homo eſt animal*, *leo eſt animal*; neque hujuſmodi propoſitio eſt identica: clarius eſt enim prædicatum ſubjecto; ergo ſpecies ſubjicibilis eſt etiam prædicabilis.

Reſp. conc. maj. diſt. min. *Animal* eſt prædicabile de homine, & leone, ut genus eſt, conc. Ut ſpecies ſubjicibilis eſt, neg. nam ſi *animal* eſſet prædicabile, ut ſpecies, eſſet tantùm prædicabile de ſolo numero differentibus, de hoc, vel illo animali, dicendo videlicet, *hoc animal eſt animal. Aliquod animal eſt animal. Omne animal eſt animal.* Non conſiderando ſcilicet eorum differentias ſpecificas, neque quod unum ſit *homo*, aliud autem *leo*, vel *Bos*; ſed tantùm numericas, ſeu ſingulares. Quæ propoſitiones ſunt identicæ, & nugatoriæ, ut patet. Unde neg. conſeq.

Ut autem hæc clariùs intelligantur no-

tandum quod aliæ ſunt ſpecies infimæ, aliæ ſuperiores. Infimæ ſunt, quæ nullam ſub ſe habent ſpeciem, ſed tantùm individua. Sic *homo*, *leo*, *Bos*, *equus*, &c. ſunt ſpecies infimæ: quia in alias ſpecies dividi non poſſunt. Species ſuperiores ſunt quæ ſub ſe habent alias ſpecies, in quas dividi poſſunt. Sic *animal*, *vivens*, *corpus*, *ſubſtantia*, ſunt ſpecies ſuperiores. Nam *animal* v. g. dividitur in *rationale*, *rugibile*, & alia, quæ ſunt diverſæ animalis ſpecies. Animal ſiquidem rationale eſt homo, qui eſt quædam animalis ſpecies. Animal rugibile eſt leo altera ſpecies animalis.

Infima igitur ſpecies quælibet ita eſt ſpecies, ut genus eſſe non poſſit: quia ſub ſe habet tantùm individua. Omnes verò ſpecies ſuperiores ita ſunt ſpecies, ut genus etiam eſſe poſſint diverſo tamen reſpectu. Si enim conſiderentur reſpective ad individuà, quæ ſub ſe habent, non conſiderando videlicet eorum differentias ſpecificas, ſed tantùm numericas, ſunt ſpecies. Sic animal eſt ſpecies reſpectu *hominis*, & *bovis*, reſpectu *leonis*, & *equi*; ſi hi conſiderentur dumtaxat ut multa animalia ſunt. Si verò conſiderentur ut ſpecie differunt inter ſe, & quod unus eſt *homo*, & alius *leo*, vel *equus*: tunc *animal* reſpectu illorum eſt genus de ipſis prædicabile. Idque intelligendum de aliis omnibus ſpeciebus ſupe-

rioribus. Atque ita etiamſi rectè dici poſſit: *leo eſt animal*, *homo eſt animal*, quia tunc *animal* prædicatur ut genus de ſpecie differentibus : non tamen dici poteſt, *hoc animal eſt animal*, vel *omne animal eſt animal*, vel *omne corpus eſt corpus*. Quia ſub hoc reſpectu *corpus*, & *animal* ſunt tantùm ſpecies. Species igitur inquantùm ſpecies eſt, non autem ut genus, eſt ens ſcibile materiale, & ſubjicibile tantùm, quod erat demonſtrandum. Duplex èſt itaque terminus logicus ſubjicibilis, ſeu ſcibile materiale, nempe, ſpecies objectiva ſubjicibilis, & ſingulare neceſſarium.

CAPUT X.

De proprietatibus termini ſubjicibilis mentalis.

COmmune eſt omni termino logico mentali tàm ſubjicibili,quàm prædicabili eſſe ideam incomplexam, determinatam, & neceſſariam, ſeu potiùs entis neceſſarii repræſentativam. Quod enim eſt proprium generi ſingulis ſpeciebus commune, & eſſentiale eſt.

Proprium eſt autem termino ſubjicibili mentali eſſe ideam completam, ſeu adæquatam entis completi ideam, quæ totum ſcilicet objectum ſimul, & adæquatè repræſentat:& ideò confuſam. Hæc eſt idea,

quæ vulgato nomini cujuſque rei, vel cujuſque ſpeciei, & individui neceſſarii reſpondet. Vulgata enim nomina res nonniſi confusè ſignificant. Docti autem viri ſingulis quibuſque ideis diſtinctis propria, atque diſtincta nomina ſubſtituerunt.

Hæc idea eſt univerſalis, idea ſcilicet ſpeciei ſubjicibilis; vel ſingularis, nimirum idea individui neceſſarii: eſt tantùm idea termini ſubjicibilis objectivi, ſeu entis ſcibilis materialis. Debet autem eſſe idea clara nominis. Quia de ente ſcibili materiali primùm quid per nomen ſignificetur ſcire neceſſe eſt. Vide quæ de ideâ clarâ nominis jam dicta ſunt tertio capite de ideâ incomplexâ.

CAPUT II.

De termino logico univerſali.

QUoniam de univerſali ſubjicibili jam loquuti ſumus, & Paulò poſt de univerſali prædicabili tractandum eſt. Priùs quid ſit univerſale definire videtur neceſſarium. Cùm autem omne univerſale ſit univocum, & omne univocum univerſale; ſimul univocorum definitionem proferemus, atque ut omnia clariora fiant: quandoquidem. *Oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt*, & *oppoſitorum eadem eſt ratio, ſeu ſcientia*; ſtatim æquivoca pariter, & analoga definiemus.

Terminus logicus univerſalis eſt illud, ex quo fieri poteſt propoſitio univerſalis. Propoſitio univerſalis eſt ea, cui præfigitur ſignum univerſale(*omnis*, vel *nullus*) hæc v.g. propoſitio(*omnis homo eſt animal*) eſt univerſalis; *homo*, & *animal* ſunt duo termini univerſales, ex quibus propoſitio conſtituitur.

Proprium termini logici univerſalis eſt quod ſit univocus, ſeu logicè unus. Alioquin non eſſet unus terminus, ſed multiplex, quod ſingulis ejus ſpeciebus commune eſt; ut conſtat ex ſequentibus exemplis.

Nam univerſale mentale eſt una idea, quæ multa repræſentare poteſt. Univerſale objectivum ſunt multa, quæ unâ ideâ repræſentari poſſunt. Quia nimirum ſimilia ſunt. Neque enim opus eſt diversâ ideâ ad repræſentandum ea, quæ diverſa non ſunt. Et quia unâ ideâ repræſentari poſſunt, unâ etiam, & eâdem definitione definiri, atque unâ, & eâdem ſcientia ſciri poſſunt. Ideſt, unius, & ejuſdem ſcientiæ objectum eſſe poſſunt.

Quapropter omnia, quæ ſunt ſimilia, ſunt unum logicè, unum ratione, unum ideâ, unum definitione, unum ſcientiâ, id eſt, unius ideæ, unius definitionis, unius ſcientiæ objectum. Et hoc eſt eſſe univocum, ſeu logicè unum. Nam quamvis entia ſimilia, ſint actualiter, & abſolutè multa; in ordine tamen ad unam ideam,

vel definitionem, vel ſcientiam ſunt unum ens, unitate, ſcilicet, formali logicâ, ſeu relativâ ad unam ideam, quâ repreſentari poſſunt. Quia nimirum perindè ſe habent, & perindè unâ ideâ repreſentari poſſunt, ac ſi reverâ eſſent abſolutè unum, & idem ens. Hæc ſunt omninò certa, & evidentia, nec indigent majori explicatione.

Similiter univerſale formale, ſeu mentale ſubjicibile eſt una idea, quæ multa ſubjicibilia repræſentare poteſt.

Univerſale objectivum ſubjicibile ſunt multa ſubjicibilia, quæ unâ ideâ repræſentari poſſunt.

Univerſale formale prędicabile eſt una idea, quæ multa prædicabilia repræſentare poteſt.

Univerſale denique objectivum prædicabile ſunt multa prædicabilia, quæ unâ ideâ repræſentari poſſunt.

Hæc in ſuperiùs allatâ propoſitione (*omnis homo eſt animal*) clariora fient, nam, *omnis homo*, eſt univerſale ſubjicibile: *animal*, eſt univerſale prædicabile. Conſidera nunc objectum hujus termini (*omnis homo*) quid eſt enim (*omnis homo*) niſi omnes, & ſinguli homines; ſi autem omnes homines, ergo plures: & tamen terminus formalis (*homo*) eſt una tantùm idea; unum quoque, & idem nomen eſt. Sic, *animal*, eſt una tantum idea, unum quoque, & idem nomen eſt: omnes autem homines non ſunt unum tantùm ani-

mal, ſed multa animalia, quæ unâ tantùm, & eâdem ideâ repræſentantur, ut manifeſtum eſt. Id etiam clariùs adhuc intelligitur, ſi dicatur (*quilibet homo eſt animal*) nam hæc propoſitio eſt pariter univerſalis, atque idem planè ſignificat ac (*omnis homo eſt animal.*)

Proprium eſt itaque termini univerſalis eſſe univocum, ſeu logicè unum: quod erat demonſtrandum idque ſequentibus definitionibus confirmabitur.

CAPUT XII.

De termino logico univoco.

TErminus univocus formalis, ſeu mentalis eſt idea, quæ repræſentare poteſt ea, quorum nomen idem eſt, ratio quoque, ſeu natura ſubſtantiæ per nomen ſignificata eadem, ſcilicet, logicè, ſeu ſimilis. Sic idea Animalis eſt univoca reſpectu *hominis*, *bovis*, & *leonis*, ac cæterorum brutorum, quibus idem nomen animalis, & ratio ſubſtantiæ per tale nomen ſignificata conveniunt. Signum autem quod ea ſit univoca eſt, quia ſi quæratur cur *ſit homo animal*, cur *leo ſit animal*, & *Bos* ſimiliter, eadem ſemper affertur ratiò, nempè, animalis definitio: qùia nimirum ſentire poteſt.

Terminus univocus objectivus ſunt ea,

quorum nomen idem eſt, ratio quoque ſubſtantiæ per nomen ſignificata ſimpliciter eadem. Eadem inquam, logicè, ſeu ſimilis, ut patet ex ſequenti æquivocorum definitione ab Ariſtotele pariter allatâ, in qua æquivoca dicuntur ea, quorum ratio diverſa eſt, ſeu diſſimilis. Quia nempe aliud eſt *animal*, quod prædicatur de *homine*, & aliud quod prædicatur de *leone*, ut perſpicuum eſt. Sed quia, ut animal ſunt, non differunt inter ſe; atque unâ, & eâdem ideâ animalis repræſentari poſſunt: ſunt unum formaliter logicè in ratione animalis, ſeu relativè ad unam, & eamdem animalis ideam. Hinc proprium eſt univocorum quod unâ, & eâdem ideâ repræſentari poſſint, & quod unius tantùm termini logici objectivi rationem habeant: quamvis ea ſint phyſicè, & abſolutè multa.

Æquivoca ſunt ea, quorum nomen idem eſt, ratio autem ſubſtantiæ per nomen ſignificata diverſa eſt. Sic Canis cæleſtis, Canis marinus, & Canis terreſtris ſunt entia æquivoca. Quia, cùm idem habeant nomen Canis, ſunt entia diverſa, quæ unâ ideâ repræſentari non poſſunt. Signum autem quod ſint æquivoca eſt quia, ſi quæratur cur Canis cæleſtis ſit Canis, non eadem affertur ratio, ac de Cane terreſtri, & ſimiliter de Cane marino. Ratio enim, cur Canis terreſtris ſit Canis eſt, quod ſit animal latrabile.

Ratio autem, cur Canis cæleſtis dicatur Canis, eſt quia ſidus eſt quamdam habens ſimilitudinem, vel figuram Canis terreſtris. Similiter de Cane marino dicendum, quia piſcis eſt Canis terreſtris figuram præ ſe ferens. Hinc vides non eamdem afferri rationem de omnibus. Proprium autem æquivocorum eſt, quod non poſſint eſſe terminus logicus objectivus. Quia non eſt una omnium idea, ſed multiplex, atque diverſa.

Analoga denique ſunt ea, quorum nomen idem eſt, ratio autem ſubſtantiæ per nomen ſignificata partim eadem, partim diverſa, ſeu partim ſimilis, & partim diſſimilis. Sic pes animalis, pes montis, & pes ſcamni ſunt entia analoga. Quia, cùm ſit idem nomen pedis, ratio tamen ſubſtantiæ, ſeu pedis non eſt planè ſimilis in omnibus: ſed aliquo modo ſimilis, & aliquo modo diſſimilis. Eſt partim ſimilis, quia nempe quilibet ſuſtentat; & partim diſſimilis, quia unus ex lapide, alius ex ligno, alius ex carne, & oſſibus conſtat: atque in hoc diverſa eſt ratio ſubſtantiæ per nomen ſignificata. Quapropter analogorum pariter non eſt una, ſed multiplex idea. Unde termini logici objectivi ea rationem habere nequaquam poſſunt, ſed cum æquivocis annumeranda ſunt.

CAPUT XIII.

Vniverſalis Objectivi Diviſio.

Dividitur univerſale objectivum, in prædicabile, & ſubijcibile.

Univerſale logicum objectivum prædicabile vulgò definitur unum prædicabile de multis, ſeu quod idem eſt, unum aptum prædicari de multis. Hæc tamen definitio non eſt legitima, quia deeſt illi aliquid eſſentiale. Quantumvis enim prædicetur de multis, non erit prædicatum univerſale; neque prædicatio, neque propoſitio erit univerſalis: cùm tamen univerſale ſit illud, ex quo fieri poteſt prædicatio, ſeu propoſitio univerſalis; ut patet ex illius definitione in genere. Nam v. g. hæc propoſitio *multi homines ſunt rationales*, non eſt univerſalis, ſed particularis, ut perſpicuum eſt: ſicut & alia quæcumque ſimilis.

Vera igitur illius definitio hæc eſt, univerſale logicum objectivum prædicabile *eſt unum prædicabile de multis univerſaliter*, id eſt, in propoſitione univerſali. Explicatur definitio. 1. dicitur *unum* videlicet, unum ens logicè, quamvis phyſicè ſint multa entia; ut ſuperiùs explicavimus: quia nempe ſunt univoca. 2. dicitur *prædicabile de multis univerſaliter*, ſive in propoſitione univerſali. Quia univerſale in genere eſt illud,

ex quo fieri poteſt propoſitio univerſalis; & quod proprium eſt generi, ſingulis ſpeciebus commune, & eſſentiale eſt. Propoſitio autem univerſalis eſt ea, quæ conſtat ideâ, vel ſigno univerſali *omnis*, vel *omne*, ut *omnis homo eſt animal*. 3. dicitur *prædicabile de multis* ſcilicet entibus. Quia *omnis homo* v. g. ſive omnes homines non ſunt omnia entia, ſed multa dumtaxat. Eſt autem prædicabile de multis entibus, quia illis ineſt, & cum ipſis identificatur. Sicut *animal* v. g. identificatur cum omni homine. Sed hæc ſunt manifeſta.

Proprium eſt univerſali objectivo prædicabili. 1. eſſe ens incompletum. Ut v. g. *animal*, *Rationale*, *Riſibile*, reſpectivè ad hominem, qui eſt univerſale ſubijcible. *Homo* namque, ſicut omne univerſale ſubijcible, eſt quid completum, & ens ſcibile materiale, atque ſubijcible tantùm, ſubjectum ſcilicet, & objectum materiale ſcientiæ. *Animal* verò eſt quid incompletum, & objectum formale ſcientiæ, illud ſcilicet, quod de homine ſcire poſſumus. Similiter *Rationale*, & *Riſibile*. Homo ſiquidem non eſt tantùm animal, neque tantùm rationalis, aut riſibilis: ſed illa omnia, & multa alia ſimul.

2. Proprium eſt univerſali objectivo prædicabili quod ſit prædicabile tantùm, quod ſcilicet nunquam poſſit eſſe ſubjectum in

propoſitione logicâ reſpectivè ad univerſale ſubijcibile. *Animal* v. g. non poteſt eſſe ſubjectum reſpectivè ad *hominem*. Neque enim *animal*, aut *Rationale*, aut *Riſibile* eſt ſubjectum, cui ineſt homo; ſed *homo* eſt ſubjectum, cui ineſt *animal*, & *Rationale*, & *Riſibile* pariter. Propterea *homo* non eſt prædicabilis, neque ſcibilis de *animali*, neque de *Rationali*, aut *Riſibili*, ſed *animal* eſt prædicabile, ſeu ſcibile de *homine*: ſimiliter *Rationale*, & *Riſibile*. Neque enim, quando inquiritur ſcientia, quæritur utrum *animal ſit homo*, vel utrum *Rationale*, aut *Riſibile ſit homo*: ſed utrum *homo ſit animal*, vel *Rationalis*, aut *Riſibilis*, ut perſpicuum eſt.

3. Proprium eſt denique univerſali objectivo prædicabili, quod ſit prædicabile ſine reſtrictione. Neque enim dicitur, *omnis homo eſt animal ſecundùm quid*, aut in hoc loco, vel tali tempore; ſed abſolutè, & indeterminatè, id eſt, ſine reſpectu ad locum, vel tempus determinatum, aut ad aliud quodcumque accidens, dicitur, *omnis homo*, vel *quilibet homo eſt animal*) loquendo nimirum de omnibus, & ſingulis individuis indeterminatè: non autem de hoc, vel de illo individuo conſiderato videlicet reſpectivè ad accidentia determinata, quod quidem ſic conſideratum eſt contingens; nec eſt objectum ſcientiæ. Proprium eſt itaque univerſalis objectivi prædicabilis, quod ſit

ens incompletum, prædicabile tantùm, & ſine reſtrictione, vel determinatione.

Univerſale logicum objectivum ſubijcibile definitur *unum in multis ſubijcibile univerſaliter*, ſive in propoſitione univerſali. *Unum*, inquam, logicè, ſeu relativè ad unam ideam, quamvis phyſicè, & abſolutè ſint multa.

Proprium univerſalis ſubijcibilis objectivi eſt 1. quod ſit ens completum. 2. quod ſit ſubijcibile tantùm in propoſitione logicâ reſpectivè ad univerſale prædicabile. 3. quod ſit ſubijcibile ſine reſtrictione. Hæc omnia patent ex prædictis de univerſali prædicabili, atque ſoli ſpeciei tum ſubſtantiæ, cùm accidentis, quam appellavimus ſubjicibilem, & objectum materiale ſcientiæ, conveniunt.

CAPUT XIV.

Univerſalis Objectivi Prædicabilis Diviſio.

Dividitur univerſale objectivum prædicabile, ſeu ens ſcibile formale in quatuor ſpecies. Prima dicitur *genus*, ſecunda dicitur *differentia*, tertia vocatur *ſpecies prædicabilis*, quarta denique *proprium*.

Genus objectivum eſt *univerſale prædicabile de multis ſpecie differentibus in quæſtione quid eſt*. Ut ſi quæratur quid eſt *homo?* Reſpondetur eſt *animal*. Similiter ſi quæratur quid eſt *Leo*, aut *Bos*, qui ſpecie differt ab homine reſpondetur eſt etiam animal. Quapropter

propter *animal*, quod eſt prædicabile univerſaliter de multis ſpecie differentibus, v. g. de omni homine, de omni leone, & de omni bove in quæſtione quid eſt, genus eſt objectivum.

Ita ſi quæratur quid eſt *albedo?* Reſpondetur eſt *color*. Similiter, ſi quæratur quid eſt *nigredo*, quæ ſpecie differt ab albedine, Reſpondetur eſt *color*. Unde *color* eſt genus objectivum reſpectu nigredinis, & albedinis. Genus ergo logicum objectivum eſt univerſale prædicabile de multis ſpecie differentibus in quæſtione quid eſt. Eſt autem prædicabile de multis, quia eſt multiplex prædicabile. Sunt enim multa prædicabilia phyſicè, & abſolutè, quæ ſunt unum logicè, ſeu relativè ad unam ideam, quâ repræſentari poſſunt: ut jam dictum eſt. Quod etiam de cæteris prædicabilibus univerſalibus intelligendum eſt.

Differentia objectiva eſt *univerſale prædicabile de multis ſolo numero differentibus in quæſtione quale quid eſt*, ſive quale eſſentiale. Ut ſi *de homine* quæratur quale quid eſt *homo?* Reſpondebitur eſt rationalis. Cùm igitur *rationalis* ſit prædicabilis univerſaliter de omni homine, ſive de omnibus, & ſingulis hominibus, qui ſolo numero differunt, in quæſtione quale quid, eſt eſſentialis differentia hominis, ſive qualitas eſſentialis, per quam is eſſentialiter ab omnibus aliis

animalibus differt. Ita ſi quæratur *quale quid eſt albedo?* Reſpondebitur. *Albedo eſt diſgregativa radiorum luminis.* Hæc eſt ſiquidem ejus differentia eſſentialis de omni albedine prædicabilis, per quam ea differt eſſentialiter ab omnibus aliis coloribus. Ut nunc ſuppono juxta vulgatam philoſophorum opinionem. Id enim ſuo loco examinabitur.

Species objectiva prædicabilis eſt *univerſale prædicabile de multis ſolo numero differentibus in quæſtione quid eſt.* Ut ſi quæratur *quid eſt homo?* Reſpondetur *eſt animal rationale.* Cùm itaque *animal rationale* ſit prædicabile univerſaliter de omnibus hominibus ſolo numero differentibus in quæſtione quid eſt, ſpecies objectiva prædicabilis eſt. Ita ſi quæratur quid ſit *albedo?* Reſpondebitur eſt *color diſgregativus radiorum luminis.* Hæc eſt cujuſlibet rei eſſentia, & ſpecies prædicabilis tantùm, quæ duobus, aut pluribus nominibus clarè ſignificatur, vel duabus, aut pluribus ideis diſtinctis clarè repræſentatur. Licet reſpectivè ad ſingulare neceſſarium non dicatur ſpecies prædicabilis, ſed rei eſſentia dumtaxat.

Proprium denique objectivum eſt *univerſale prædicabile de multis ſolo numero differentibus in quæſtione quale neceſſariò fluens ab eſſentia.* Ut ſi de *homine* quæratur *qualis ſit homo* intelligendo qualitatem neceſſariò

fluentem ab illius eſſentiâ? Reſpondebitur eſt *admirativus*, vel *riſibilis*, vel *artium, atque ſcientiarum atque beatitudinis capax*. Hæ namque qualitates ab illius eſſentiâ neceſſariò fluunt. Quia etenim ſentire poteſt, & ratiocinari; inde ſequitur neceſſariò quod poſſit admirari, Ridere, ſcientias acquirere, & Beatitudinem. Ita ſi quæratur de albedine qualis ſit, intelligendo qualitatem neceſſariò fluentem ab eſſentiâ? Reſpondebitur eſt diſgregativa visùs. Nam ex eò,quòd Albedo ſit color diſgregativus radiorum luminis, ſequitur neceſſariò quòd ea ſit diſgregativa visùs.

Proprium proprii eſt quod omni, & ſoli ſpeciei ſemper conveniat. Sic *Riſibile, admirativum* omni, & ſoli homini ſemper convenit. Sicut *diſgregativum visùs* omni, & ſoli albedini, ac ſemper convenit. Dicitur autem proprium quarto modo,id eſt, quartum univerſale, ut diſtinguatur ab accidente proprio, quod non eſt univerſale. Nam accidens dividitur in accidens proprium, & commune.

Accidens proprium definitur *prædicabile de multis particulariter in quæſtione quale contingenter fluens ab eſſentia*. Ut ſi quæratur qualis ſit homo intelligendo de qualitate contingenter fluente ab eſſentia? Reſpondetur eſt ridens actualiter, eſt ratiocinans, eſt doctus, vel pius.

Proprium accidentis proprii eſt quod ſoli quidem ſpeciei, non tamen omni, neque ſemper conveniat. Quapropter accidens proprium non eſt univerſale neque enim ex eo fieri poteſt propoſitio univerſalis. Nam hujuſcemodi propoſitiones, *omnis homo eſt doctus. Omnis homo eſt pius. Omnis homo eſt ridens*, vel *ratiocinans actualiter*. Sunt omnes falſæ.

Accidens verò commune definitur quod eſt *prædicabile de multis contingenter*. Ut *homo eſt albus, homo eſt ſedens*, vel *ambulans*.

Proprium accidentis communis eſt quod neque omni, neque ſoli ſpeciei, neque ſemper conveniat. Nam eſſe album convenit pluribus aliis entibus, quàm homini, ſicut ſedere, & ambulare pluribus aliis animalibus. Neque iſta omni homini conveniunt, aut alicui pro ſemper. Unde neque ex accidente communi fieri poteſt propoſitio univerſalis. Ut perſpicuum eſt.

Poteſt quidem dici *Petrus eſt ridens, paulus eſt ratiocinans*, vel *multi homines ſunt albi, multi homines ſunt ſedentes*, vel *docti*, vel *ambulantes*. Sed cùm hujuſmodi propoſitiones ſint contingentes, particulares, aut ſingulares; de ipſis non poteſt dari cognitio certa per demonſtrationem, & diſcurſum: ſed eæ poſſunt tantummodò eſſe objectum ſenſuum, quorum beneficio certò, & evidenter ſine diſcurſu percipi poſſunt pro eo in-

ſtanti, quò clarè percipiuntur; nec indigent majori evidentiâ, quæ aliàs impoſſibilis eſt.

Accidens igitur ſive proprium, ſive commune, ut eſt prædicabile de ſubſtantia non eſt univerſale : neque proindè conſtituit quintum prædicabile logicum.

Quatuor ſunt itaque duntaxat prædicabilia logica de omni ente ſubjicibili, ſeu quatuor ſcibilia formalia de omni objecto materiali ſcientiæ : ſive illud ſit ſpecies, vel individuum neceſſarium tam ſubſtantiæ, quàm accidentis. Videlicet genus, differentia, ſpecies prædicabilis, & proprium. Ubi notandum quod alia ſunt immediata, quæ proprium cujuſlibet entis ſcibilis ſcientiam conſtituunt, qualia ſunt ea, quæ de homine, & albedine jam aſſignavimus prædicabilia : alia verò ſunt mediata, & ſuperiora prædicabilia de qualibet ſpecie inferiori, quæ ipſi cum aliis ſpeciebus communia ſunt.

Quidquid enim eſt prædicabile, ſeu ſcibile de ſpecie ſuperiori, eſt etiam prædicabile, ſeu ſcibile de omnibus ſpeciebus inferioribus. Cùm enim *homo* v. g. non ſolùm ſit animal, ſed etiam vivens, & corpus, & ſubſtantia, quæ eſt quædam quaſi ſpecies entis; poſſunt etiam prædicari de *homine* genus, differētia, ſpecies prædicabilis, & proprium animalis: genus, differētia, ſpecies prædicabilis, & proprium viventis ; genus, dif-

ferentia, ſpecies prædicabilis, & proprium corporis, tum ſubſtantiæ, & quidquid eſt prædicabile, ſeu ſcibile de ente, eſt etiam ſcibile de homine.

Idem dicendum de albedine, & de quolibet ente ſcibili materiali, ſive illud ſit ſubſtantia, vel accidens. Nam cùm *albedo* v. g. non ſolùm ſit color, verùm etiam qualitas, & accidens, & ens ſaltem analogum: quidquid eſt prædicabile, de colore, de qualitate, de accidente, & de ente, eſt pariter prædicabile, ſeu ſcibile de albedine.

CAPUT XV.

Solvuntur objectiones.

Dices 1. Hæc quatuor prædicabilia non ſunt tantùm prædicabilia: cùm ea poſſint eſſe ſubjectum in propoſitione Logicâ. Dicitur enim genus eſt univerſale, ſpecies prædicabilis eſt univerſale, & proprium pariter eſt univerſale.

Reſp. hæc quatuor prædicabilia poſſunt eſſe ſubjectum in propoſitione logicâ, ut ſunt quædam ſpecies ſubjicibiles univerſalis conc. Ut ſunt genus, vel differentia, vel ſpecies prædicabilis, aut proprium. Neg. genus enim, ut *genus*, eſt tantùm prædicabile. Sic differentia, ut *differentia*, eſt tantùm prædicabilis, & ſic de cæteris.

Præterea omnes ſpecies ſuperiores habent rationem ſpeciei ſubjicibilis, quandiu confuſè cognoſcuntur, atque earum ſcientia inquiritur. Quandiu enim v. g. ignoro quid ſit *animal*, tamdiu *animal* habet rationem ſpeciei ſubjicibilis, & objecti materialis ſcientiæ: nec habet rationem prædicabilis logici, ex quo videlicet fieri poſſit propoſitio, ſeu prædicatio logica certa, & evidens. Cùm autem certò, & evidenter cognoſco quid ſit *animal*, tunc *animal* non habet ampliùs rationem ſpeciei ſubjicibilis, quia ejus ſcientia non inquiritur ampliùs: ſed habet rationem prædicabilis logici, nimirum, generis reſpectu hominis, leonis, & bovis, aliorumque animalium, quorum ſcientia inquiritur.

Omnes itaque ſpecies ſupèriores tam ſubſtantiæ, quàm accidentis habet rationem ſpeciei ſubjicibilis, ſeu objecti materialis ſcientiæ, & rationem prædicabilis, ſeu objecti formalis ſcientiæ; ſed ſub diverſo reſpectu, atque diverſo tempore. Primò enim rationem habent ſpeciei ſubjicibilis reſpectu quatuor prædicabilium, quæ de ipſis prædicari, & ſciri poſſunt, ſive immediata illa ſint, ſive mediata, quatuor prædicabilia: poſteà verò rationem habent generis reſpectu inferiorum ſpecierum, de quibus ſciri, & prædicari poſſunt. Infima autem ſpecies ſubjicibilis quælibet

eſt tantùm ſubjicibilis, & nihil ampliùs.

Dices 2. Definitio debet convenire omni definito; ſed prædicta ſpeciei definitio convenit ſoli ſpeciei infimæ; quæ habet ſub ſe individua, de quibus prædicari poteſt: ſuperiores autem ſpecies non habent ſub ſe, niſi ſpecies; ergo prædicta definitio ſpeciei prædicabilis non eſt legitima. Idem dicendum de differentia ſuperiori, & proprio. Cùm tam ſpecies prædicabilis, quàm differentia, & proprium ſint tantùm prædicabilia de ſolo numero differentibus juxta præcedentes definitiones.

Probatur minor. Quia *vivens ſenſitivum*, quod eſt ſpecies prædicabilis ſuperior, non poteſt prædicari, niſi de homine, & leone, & cæteris animalibus ſpecie differentibus. Cùm nullum ſit individuum animalis, quod animal tantùm ſit, & quod in aliqua ſpecie animalis non ſit.

Reſp. *vivens ſenſitivum*, & quælibet ſpecies ſuperior prædicabilis poteſt eſſe genus, & ſpecies prædicabilis ſub diverſo reſpectu. Nam *vivens ſenſitivum*, ſi conſideretur ut eſt prædicabile de ſpecie differentibus, v. g. de homine, bove, & leone, tunc erit genus. Si verò conſideretur ut eſt prædicabile de homine, bove, & leone, inquantùm animal ſunt, non conſiderando, ſcilicet, quod ſpecie differunt; ſed tantùm quod homo eſt unum animal, & bos eſt

aliud animal, & leo aliud, & ſic de cæteris: tunc *vivens ſenſitivum* erit ſpecies prædicabilis de ſolo numero differentibus; atque verè dici poterit, *omne animal eſt vivens ſenſitivum*. Idem dicendum de differentia ſuperiori, quæ poteſt ſimiliter prædicari ut genus de ſpecie differentibus, vel ut differentia de ſolo numero differentibus. Idem quoque intelligendum de proprio ſuperiori. Ac proinde prædictæ definitiones ſunt omnes legitimæ.

CAPUT XVI.

Vtrum quatuor tantùm ſint prædicabilia.

Quæritur utrum quatuor tantùm ſint prædicabilia de omni termino ſubjicibili, ſeu quatuor ſcibilia formalia de omni objecto materiali ſcientiæ.

Reſp. Diviſio præcedens univerſalis prædicabilis in quatuor ſpecies, nimirum, genus, differentiam, ſpeciem prædicabilem, & proprium eſt adæquata: neque plura ſunt, vel pauciora prædicabilia logica.

Prob. concl. quia, cùm omnis terminus logicus. Sit objectum ſcientiæ; omne autem objectum ſcientiæ ſit neceſſarium: atque illa quatuor tantùm ſint neceſſariò prædicabilia; manifeſtum eſt diviſionem illam eſſe adæquatam, neque plura eſſe prædicabilia logica, quàm illa quatuor.

Objic. 1. Accidens eſt univerſale prædicabile de multis ſubjectis contingenter, ergo datur quintum univerſale. Multi enim ſunt homines albi, & docti, de quibus prædicari poſſunt hujuſmodi accidentia.

Reſp. 1. neg. Antecedens, quod in ſe contradictionem involvit. Omne ſiquidem univerſale prædicabile, eſt neceſſariò prædicabile, non autem contingenter. Alioquin neque terminus logicus eſſe poteſt.

Reſp. 2. Diſt. ant. accidens eſt prædicabile de multis ſubjectis particulariter conc. univerſaliter neg. & neg. conſeq. nam terminus univerſalis in genere eſt eſſentialiter illud, ex quo fieri poteſt propoſitiò univerſalis. Ut *omnis homo eſt albus.* Quæ propoſitio eſt ſimpliciter falſa, & quamvis ea ſupponeretur eſſe vera, quia tamen contingens eſt hominem eſſe album: ideò non eſt objectum ſcientiæ, neque prædicabile logicum, ſed dialecticum, vel grammaticum. Neque enim ſciri poteſt an homo ſit albus an non, cùm is quolibet inſtanti poſſit eſſe, vel non eſſe albus. Idem dicendum de cæteris accidentibus. Nam accidentis proprium eſt quod poſſit adeſſe, & abeſſe ſine ſubjecti corruptione.

Inſtabis. Certum, & evidens eſt me modò ſedere, ſcribere, & eſſe in ſchola: ergo de contingenti poteſt eſſe cognitio certa, & evidens, ſeu ſcientia.

Reſp. diſt. ant. Certum, & evidens eſt te modo ſedere, ſcribere, & eſſe in ſchola, evidentiâ, & certitudine ſenſuum, ſine diſcurſu, & pro hoc inſtanti tantùm, quo ſedes, & ſcribis, conc. univerſaliter, id eſt, ſine reſtrictione temporis, aut loci, atque evidentiâ, & certitudine rationis, & ſcientiæ, neg. & neg. conſeq. Nam ſingularia contingentia ſunt objecta ſenſuum, non ſcientiæ. Neque enim iſta evidenti ratione. Certò, ac neceſſariò probari poſſunt: ſed tantùm ſenſibus clarè percipi.

Objic. 2. Individuum ſolo numero differens, quod ſcilicet idem eſt, quod unum, ſeu *indiviſum in ſe*, & *diviſum à quolibet alio*, eſt univerſale diſtinctum à quatuor prædictis: ergo dantur quinque univerſalia. Prob. ant. Nam omne prædicabile de multis univocè, & neceſſariò in propoſitione univerſali; eſt univerſale; ſed individuum hujuſmodi eſt univocè, & neceſſariò prædicabile de multis in propoſitione univerſali: dicitur enim, *omne ens eſt unum*, ſeu individuum. & *omnis homo eſt individuus*, ſive unus homo. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia, ſi concipiatur *homo*. V. g. ut unum ens, illa idea æqualiter repræſentare poteſt omne, & quodlibet individuum: ergo, cùm idea individui ſit univerſalis, neceſſe eſt pariter ut illius objectum, videlicet, *individuum* ſit univerſale objectivum.

Reſp. diſt. ant. individuum ſolo numero differens eſt univerſale, conc. eſt quintum univerſale diſtinctum à quatuor prædictis, neg. & neg. conſeq. individuum ſiquidem eſt quartum prædicabile, proprium videlicet entis. Nam proprium entis eſt quod ſit unum, ſeu individuum. Cùm autem ſit proprium entis, non mirùm ſi prædicari poſſit univerſaliter de homine, atque de omnibus aliis inferioribus entis enimverò omnia, quæ prædicabilia ſunt de ſuperioribus, ſunt quoque prædicabilia de inferioribus: ut ſuperiùs explicavimus.

Individuum autem, ſi conſideretur reſpectivè ad accidentia, per quæ differt ab omni alio, quod vulgò dicitur ſingulare ab omni alio differens, aut hic homo, vel hic leo, manifeſtum eſt quod non ſit univerſale, neque ſubjicibile; quia hæc propoſitio (*hic homo eſt animal*) non eſt univerſalis: neque prædicabile, quia hæc propoſitio (*omnis homo eſt hoc animal*) neque vera, neque univerſalis, neque propoſitio logica eſt.

Confirmatur. Quia, ſi concipiatur unum ens ab omni alio differens, illa idea nullum aliud ens repræſentare poterit, ut perſpicuum eſt. Hinc ſingulare hujuſmodi, niſi fuerit neceſſarium, terminus logicus eſſe non poteſt.

Idem dicendum de individuo vago, ſeu

indeterminato,quod Vulgò dicitur aliquod ens, vel aliquod individuum. Nullo ſiquidem modo poteſt eſſe terminus univerſalis: cùm ex eo nulla fieri poſſit propoſitio univerſalis. Nam hujuſmodi propoſitiones, *Aliquis homo eſt animal, vel omnis homo eſt aliquod animal*, non ſunt univerſales, ſed particulares. Individuum igitur hoc modo conſideratum non ſolùm univerſalis terminus non eſt, ſed neque terminus logicus eſſe poteſt: ut demonſtratum eſt dum de termino logico.

Objic. denique. Communis eſt omnium Philoſophorum opinio, quod accidens, ut eſt prædicabile contingenter de ſubjecto, ſeu de ſubſtantia, ſit univerſale, & quod proinde quinque ſint univerſalia. Nemo enim dubitat quin accidens ſit univerſale, ut eſt prædicabile de inferioribus ſpeciebus ſibi ſubjectis; ut color v. g. de albedine, & nigredine: ſed in hoc ſenſu non conſtituit quintum univerſale; ut manifeſtum eſt.

Reſpondeo. In rebus philoſophicis præſtare rationem authoritati, & ſcientiam opinioni, & demonſtrationem probabilitati. Id autem tanti momenti eſt, & tantæ conſequentiæ; ut ſi ſemel admittatur accidens, pro quinto prædicabili univerſali, ſeu quinto ſcibili formali: nihil unquam ſciri poſſit. Si enim certò, & evidenter non diſtinguatur ſcibile à non ſcibili quis unquam

certus erit ſe aliquam ſcientiam habere : cùm verè neſciat quid ſcibile ſit,

CAPUT XVII.

Diviſio termini prædicabilis mentalis.

IAm ſcimus quotuplex ſit prædicabile objectivum de omni, & quolibet ſubjicibili, ſeu quotuplex ſit ſcibile formale de omni, & quolibet objecto materiali ſcientiæ. Quapropter non erit difficile determinare, quotuplex poſſit eſſe ſcientia, ſeu quotuplex ſit idea, quæ poteſt eſſe certa, & evidens de omni, & quolibet ente ſcibili materiali.

Cùm enim tot poſſint eſſe ſcientiæ de quolibet objecto materiali ſcientiæ, quot ſunt ſcibilia formalia de eodem objecto; jámque ſit demonſtratum eſſe tantùm quatuor ſcibilia formalia : neceſſe eſt ut quatuor tantùm eſſe poſſint ſcientiæ partiales de quolibet ſcibili materiali, quæ illius ſcientiam totalem conſtituunt.

Prima itaque idea, quæ poteſt eſſe ſcientia, eſt idea generis objectivi; 2. eſt idea differentiæ; 3. eſt idea ſpeciei prædicabilis; ſeu idea diſtincta eſſentiæ; 4. denique eſt idea proprii. Hæ quatuor ideæ poſſunt eſſe ſcientiæ, ſi nimirum, conjungantur cum idea entis ſcibilis materialis per prædicationem in concluſione ſyllogiſmi demonſtrativi : ut ſequentibus patebit exemplis.

EXEMPLUM.

De Genere	De Genere
Omne, quod ſentire poteſt, eſt animal.	*Omne, quod poteſt lumen Reflectere, eſt color,*
Sed omnis homo ſentire poteſt:	*Sed omnis Albedo poteſt lumen Reflectere:*
Ergo omnis homo eſt animal.	*Ergo omnis Albedo eſt color.*
De Differentia	De Differentia
Omne, quod poteſt ratiocinari, eſt Rationale.	*Omne, quod poteſt diſgregare radios luminis, eſt diſgregativum radiorum luminis;*
Sed omnis homo poteſt ratiocinari:	*Sed omnis Albedo poteſt diſgregare radios luminis:*
Ergo omnis homo eſt rationalis.	*Ergo omnis Albedo eſt diſgregativa radiorum luminis.*
De Specie.	De Specie.
Omne, quod poteſt ſentire, & ratiocinari, eſt Animal rationale;	*Omne, quod poteſt lumen Reflectere & diſgregare, eſt color diſgregativus luminis;*
Sed omnis homo ſentire poteſt, & ratiocinari:	*Sed omnis Albedo poteſt lumen Reflectere, & diſgregare:*

Ergo omnis homo eſt Animal rationale.	*Ergo omnis Albedo eſt color diſgregativus luminis.*
De Proprio.	De Proprio
Omne, quod poteſt admirari, eſt admirativum;	*Omne, quod poteſt viſum diſgregare, eſt diſgregativum viſûs;*
Sed omnis homo poteſt admirari:	*Sed omnis Albedo poteſt viſum diſgregare:*
Ergo omnis homo eſt admirativus.	*Ergo omnis Albedo eſt diſgregativa viſûs.*

MAjor propoſito cujuſlibet Syllogiſmi eſt evidens, & certa, ut patet. Minor autem propoſitio ſupponitur jam probata ab effectu multiplici experientiâ comprobato. Quando nimirum, inductione factâ ſufficienti nullus invenitur homo, qui aliquando non ſentiat, aliquando non ratiocinetur, & aliquando non admiretur: nulla quoque albedo, quæ aliquando lumen non reflectat, & lumen, & viſum non diſgreget. Nam ab actu ad potentiam valet conſequentia: Sicque colligitur propoſitio univerſalis evidens, & certa. Undè fit ut cujuſlibet Syllogiſmi prædicti concluſio ſit ſcientia. Quia verò proprium neceſſariò fluit ab eſſentia; ideò concluſio duorum ultimorum poteſt etiam probari, ut fieri ſolet, à priori, ſeu per cauſam neceſſariam, nempe, rei eſſentiam jam demonſtratam hoc modo.

De Proprio	De Proprio
Omne animal rationale eſt admirativum;	*Omnis color diſgregativus luminis eſt diſgregativus viſûs.*
Sed omnis homo eſt animal rationale:	*Sed omnis Albedo eſt color diſgregativus luminis:*
Ergo omnis homo eſt admirativus.	*Ergo omnis Albedo eſt diſgregativa viſûs.*

VIdes in omnibus prædictis Syllogiſmis *hominem*, & *albedinem*, quæ ſunt ſpecies ſubjicibiles, eſſe ſemper ſubjectum. Quatuor autem prædicabilia eſſe ubique prædicatum reſpectu illarum.

Hæc ſunt igitur quatuor prædicabilia mentalia, ſeu quatuor prædicabilium ideæ, quæ poſſunt eſſe ſcientiæ, & quæ propriam ſcientiam cujuſlibet objecti materialis ſcientiæ cônſtituunt: ſi fuerint immediata prædicabilia ut iſta. Superiora ſiquidem quinque prædicabilia totalem quidem, ſed non propriam, & ſpecialem conſtituunt ſcientiam: cùm ea ſint pluribus aliis ſpeciebus comunia, ut jam dictum eſt.

Proprium eſt autem generi mentali, ſeu ideæ generis objectivi contrahi, ſeu reſtringi ad ſpeciem; ſi genus objectivum de ſpecie prædicetur. Ita ut quando prædicatur de ſpecie, non ſit ampliùs genus, ſed ſpecies. Ut ſi conjungatur per prædicationem men-

talem idea animalis cum idea hominis, quando videlicet dicitur mentaliter, *omnis homo eſt animal*, tunc idea animalis, quæ priùs erat genus mentale, & omne animal repræſentare poterat, quandiu manet ſic conjuncta cum idea hominis, unam tantùm ſpeciem animalis repræſentat, hominem ſcilicet. Tandiu verò cenſetur conjuncta, quandiu manet idem Syllogiſmus, aut ratiocinatio. Quapropter, ſi in alterutra præmiſsâ de una ſpecie prædicetur, de alia ſpecie non poterit prædicari in concluſione.

Commune eſt autem tam generi mentali, quàm differentiæ, & ſpeciei prædicabili, & proprio contrahi ad individuum, quando prædicantur de individuo. Ut quando dicitur, *hic homo eſt animal*, *hic homo eſt rationalis*, *hic homo eſt animal rationale*, *hic homo eſt admirativus*. Tunc enim omnes illæ ideæ unum tantùm individuum repræſentant. Ita ut, ſi in alterutra Syllogiſmi præmiſsâ cum idea ſingulari conjungantur, eæ non poſſint in concluſione ejuſdem Syllogiſmi de ſpecie, vel de alio individuo prædicari. Sed de univerſali logico prædicabili jam ſatis. De univerſali enim Metaphyſico tractabimus in Metaphyſica.

CAPUT XVIII.

Tractatus Primi Corollarium.

HUcuſque demonſtravimus quid ſit terminus logicus in genere,& proprietates illius;quid ſit terminus mentalis,ſeu formalis:quid terminus objectivus,ſeu materialis,& eorum proprietates in communi.Utrumque terminum,mentalem,ſcilicet,& objectivum, diviſimus in ſubjicibilem, & prædicabilem ; terminum ſubjicibilem objectivum eſſe objectum materiale ſcientiæ clarè probavimus:terminum verò prædicabilem objectivum eſſe objectum formale ſcientiæ ; terminum ſubjicibilem mentalem eſſe ideam , quam ſcientiam materialem in potentiâ appellavimus : terminum denique prædicabilem mentalem eſſe ideam , quæ poteſt eſſe ſcientia formalis.

Diviſimus tandem utrumque terminum prædicabilem,objectivum,ſcilicet,& mentalem : & quotuplex ſit prædicabile objectivum,ſeu ſcibile formale de omni,& quolibet objecto materiali ſcientiæ,& quotuplex poſſit eſſe ſcientia demonſtravimus.Nihil igitur ſupereſt aliud, quàm demonſtrare quotuplex ſit terminus ſubjicibilis objectivus, ſeu quotuplex ſit objectum materiale ſcientiæ,quod in ſequenti tractatu Deo dante demonſtrabitur.

PARS PRIMA LOGICÆ.

TRACTATUS SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

QUA METHODO POSSIT OMNIS Terminus Logicus Subjicibilis Reperiri.

Iam probavimus terminum ſubjicibilem, ſeu ens ſcibile materiale eſſe neceſſariò ſpeciem, quam appellavimus ſubjicibilem, vel individuum neceſſarium. Ideò, ut omne ſcibile materiale reperiatur, neceſſariò inquirendum eſt quotuplex ſit ſpecies, & individuum neceſſarium.

Quapropter, ut nulla ſpecies, nullumque individuum neceſſarium noſtram ſolertiam effugiat, methodum ſcientiæ imprimìs obſervare neceſſarium eſt; incipiendo videlicet, ab ente omnium maxime compoſito ut *hic homo*, vel *Petrus*, quo in varios conceptus, ſeu ideas ſemper ſimpliciores, & univerſaliores per diviſionem reſoluto: inveniemus per methodum compoſitionis, componendo nimirum ideam generis cum idea differentiæ, ſingulas ſpecies ſubjicibiles, & individua neceſſaria.

Neceſſe eſt enim ut inter illa duo extre-

ma ens, inquam, ſimplicisſimum, & ens omnium maximè compoſitum omne ſubjicibile, ſeu ſcibile materiale includatur. Id autem fieri poteſt per communes interrogationes, ut ſequitur.

Si enim quæratur *quid eſt homo?* Reſp. *eſt animal rationale.* Quid eſt animal? *Eſt vivens ſenſitivum.* Quid eſt vivens? *eſt corpus animatum.* Quid eſt corpus? *eſt ſubſtantia.* Quid eſt ſubſtantia? *eſt ens.* Cùm autem nullum ſit ens, quod non ſit vel ſubſtantia, vel accidens; certum eſt quod, ſi omnem ſubſtantiam ſcibilem, atque omne accidens ſubjicibile reperiamus omne pariter ens ſcibile reperiemus.

Id igitur nullo alio modo fieri poteſt, quàm dividendo ſubſtantiam in ſuas omnes ſpecies; & quodlibet ſupremum genus accidentis in ſuas quoque ſpecies immediatas; & proximas pariter dividendo per differentias oppoſitas: & has rurſum ſpecies in alias immediatas, & proximas, donec ad individua perveniatur.

Quot ſint verò ſuprema genera accidentis manifeſtum quoque fit per communes interrogationes, quæ adhuc fieri poſſunt de *Petro*, vel de *hoc homine.* Nam. 1. quæri poteſt quantus ſit? *& ecce quantitas.* 2. qualis ſit? *& ecce qualitas.* 3. ad quid referatur? *& ecce relatio.* 4. quid agat? *& ecce actio.* 5. quid patiatur? *& ecce paſſio.* 6.

quando ſit ? *& ecce tempus*. 7. ubi ſit ? *& ecce locus*. 8. quo ſitu in loco exiſtat ? *& ecce ſitus*. 9. denique quo habitu ſit indutus ? *& ecce habitus*. Sed cùm habitus, ſeu indumentum ſit concretum ex ſubſtantia,& accidente, atque artefactum : neque ſubjicibile, neque ſcibile materiale, neque terminus logicus eſſe poteſt.

Ex his colliges eſſe dumtaxat novem ſumma genera, quibus totidem prædicamenta conſtituuntur. Primum eſt *ſubſtantia*. Secundum *quantitas*. Tertium *qualitas*. Quartum *relatio*. Quintum *actio*. Sextum *paſſio*. Septimum *tempus*. Octavum *locus*. Nonum denique *ſitus*.

ANTE-PRÆDICAMENTORUM

PRÆFATIO.

IAm conſtat ex præcedenti capite novem eſſe dumtaxat ſumma genera, quæ in ſuas ſpecies diviſa totidem prædicamenta conſtituunt: atque res omnes ſcibiles, quæ in mundo exiſtunt, complectuntur. Prædicamentum ſiquidem eſt ſeries ordinata ſub uno ſummo genere terminorum ſubjicibilium, qui ſcilicet poſſunt eſſe ſubjectum in propoſitione logicâ. Seu apta diſpoſitio ſub uno ſummo genere rerum ſcibilium, ſive ſint ſpecies, aut individua neceſſaria.

Quapropter prædicamentum dicitur etiam

Cathegoria à verbo græco, *Cathegorevo*, quod ſignificat arguo, vel demonſtro. Quia prædicamentum arguit, ſeu demonſtrat, quotuplex ſit terminus logicus ſubjicibilis, ſeu quotuplex ſit ens ſcibile materiale. Dicitur quoque prædicamentum, id eſt, ſeries, terminorum ſubjicibilium, de quibus ſummum genus prædicabile eſt.

Priuſquàm verò ſumma illa novem genera in ſuas ſpecies dividamus, reſque omnes ſcibiles, & prædicamenta exhibeamus: Anteprædicamenta, primamque entis diviſionem tradere neceſſe eſt.

CAPUT II.

Ante-prædicameuta.

ENs creatum dividitur immediatè in univerſale, & ſingulare, in ſubſtantiam, & accidens. Hæc autem Ante-prædicamenta dicuntur. Quia prædicamenta præcedunt, utpotè univerſaliora. Nullum verò prædicamentum conſtituunt. Quia non ſunt veræ ſpecies, aut res in mundo exiſtentes diſtinctæ ab iis, quæ in prædicamentis repenuntur.

Neque enim ens eſt genus, aut exiſtit aliqua ſubſtantia, aut aliquod accidens in genere. Undè hæc dicuntur entis differentiæ tantùm, nempè eædem res omnes, quæ in prædicamentis reponuntur, ſunt ens

ſingulare, vel univerſale, ſpecies, videlicet, ſubjicibilis, vel individuum neceſſarium. quælibet etiam eſt ſubſtantia, vel accidens.

Atque ita quælibet, v. g. lapis, qui eſt ſpecies ſubjicibilis corporis, non ſolùm eſt objectum materiale ſcientiæ, ut lapis eſt: verùm etiam ut ens eſt, ut univerſalis, & ut ſubſtantia eſt. quamvis enim lapis, ut ens eſt, non habeat veram rationem ſpeciei ſubjicibilis; habet tamen aliquam ſimilitudinem ſpeciei ſubjicibilis, & eſt verè objectum materiale ſcientiæ: quatenus verè poteſt definiri; ut ens eſt, & ut ſubſtantia eſt; non quidem per verum genus, ſed per aliquid quod verè ſubſtituitur loco generis.

His ita ſuppoſitis quid entis nomine, quid ſubſtantiæ tum univerſalis, tum ſingularis, quid pariter accidentis tum univerſalis, tum ſingularis nomine intelligatur, declarandum eſt.

Ens definitur *quod de omni re dicitur.* Quidquid enim concipi poteſt, dicitur ens, ſive ſit homo, vel lapis, ſive ſit ſubſtantia, vel accidens. Quapropter ens vulgò dicitur tranſcendens, id eſt, ſuperius omnibus prædicamentis. Quia de omnibus, quæ in prædicamentis reponuntur, prædicabile eſt, atque priùs ſcibile, quâm illa omnia. Nimirum eædem ſpecies omnes, atque

que

que individua neceſſaria, quæ in Prædicamentis reponuntur, ſunt objectum materiale ſcientiæ in ratione entis, tum in ratione ſubſtantiæ, vel accidentis: priuſquàm in ratione corporis vel alterius ſpeciei cujuſcumque inferioris.

Subſtantia ſingularis *eſt illud, quod in ſubjecto phyſico non eſt, nec de ſubjecto logico dicitur.* Ut *hic homo* non eſt in ſubjecto phyſico, ſive in ſubjecto inhæſionis; ſicut eſt albedo in pariete, cui inhæret: neque de ſubjecto logico dicitur. Subjectum enim logicum eſt id, *de quo aliquid prædicatur.* Hic autem homo de nullo prædicatur.

Subſtantia univerſalis *eſt illud, quod in ſubjecto phyſico non eſt, & de ſubjecto logico dicitur.* Sic animal de homine prædicatur, non eſt tamen in homine ſicut in ſubjecto phyſico; ut albedo eſt in pariete, cùm homo, & animal ſint unum, & idem.

Accidens ſingulare *eſt illud, quod in ſubjecto phyſico eſt, nec de ſubjecto logico dicitur.* Ut hæc albedo eſt in hoc pariete tanquam in ſubjecto phyſico. Non tamen dicitur quod hic paries, aut aliud quidquam ſit hæc albedo.

Accidens univerſale *eſt illud, quod in ſubjecto phyſico eſt, & de ſubjecto logico dicitur.* Sic color eſt in ſubjecto phyſico, cui inhæret; neque enim poteſt eſſe ſine ſubje-

ćto phyſico : & de ſubjećto logico dicitur. Nempè Albedo eſt color.

Hæc igitur ſunt Ante-prædicamenta, videlicet, Ens, Univerſale, Singulare, Subſtantia, & Accidens, atque horum omnium oppoſita: quæ objećtum totale Metaphyſicæ conſtituunt.

Omnes autem prædićtæ definitiones ſunt meræ definitiones nominis ſicut & cæteræ omnes, quas afferemus deinceps in traćtatu de Prædicamentis. Quia, cùm Prædicamenta ad hoc tantùm inſtituta ſint, ut numerus rerum ſcibilium reperiatur; atque omne ſcibile materiale innoteſcat: neque Logica ipſam rerum ſcientiam tradat, ſed tantùm ſcibilitatem demonſtret; quid ſcilicet ſcibile ſit, & quotuplex: de omni ſcibili materiali, ut *ens eſt*, veram rei definitionem tradere non debet, quod ad alias ſcientias pertinet; ſed nominis dumtaxat definitionem. Ut videlicet per nominis definitionem, quantùm, & quando opus eſt, quodcumque ſcibile materiale innoteſcat. Quamvis Logica ipſa entis ſcibilis, ut ſcibile eſt, veram rei definitionem tradat, omniumque oppoſitorum entis ſcibilis, ut ſcibile eſt.

Quæritur. 1. Quid Reponi debeat in Prædicamentis?

Reſp. Omnis terminus logicus ſubjicibilis; ſive omne ſcibile materiale, ut ſæpè

jam diximus, eſt ens incomplexum, determinatum, neceſſarium, & completum, quæ proprietates ſoli ſpeciei, vel individuo neceſſario conveniunt. Hinc manifeſtum eſt nihil aliud reponendum eſſe in Prædicamentis præter ſpecies? & individua neceſſaria.

Quæritur 2. Utrum Deus ponatur in Prædicamento. Nam Deus eſt ens ſingulare, neceſſarium, determinatum, & completum.

Reſp. cùm nullum ſit genus univocum, neque ullus conceptus communis, vel idea univoca reſpectu Creatoris, & creaturæ (ut videbimus in Metaphyſica, dum de ente tractabimus) atque omnia, quæ ponuntur in Prædicamentis, ſub uno ſummo genere univoco reponantur; perſpicuum eſt quod Deus, quamvis ſit omnium entium maximè ſcibile, in nullo tamen Prædicamento reponi debeat.

Sed cùm Deus ſit cauſa omnis entis, omniſque ſcientia de ente tractet. Neque poſſit clarè cognoſci effectus, niſi clarè conoſcatur ejus cauſa: hinc fit, ut nulla ſit ſcientia, quæ de Deo tractare non debeat ſaltem ut primâ causâ. Ut manifeſtum fiet tam in Logica, quàm in Metaphyſica, tam in Phyſica, quàm in morali Philoſophia.

Unde etiam certum eſt nullam poſſe dari perfectam ſcientiam ſine ſcientia, & cognitione Dei. Hinc optimè dicitur quod ens

infinitum non ponitur in Prædicamento, neque Creator in ordine,& ſerie creaturarum. Objectiones, quæ fieri poſſunt de univocatione Entis, & Subſtantiæ ſolvemus in Metaphyſica.

Quæritur 3. Utrum Chriſtus, ut homo, ponatur in prædicamento Subſtantiæ.

Reſp. Chriſtus ut homo, ſimilis factus eſt nobis. Unde cùm homo in ſpecie ſit ſcibile materiale, & in prædicamento Subſtantiæ reponatur; Chriſtus, ut homo, in prædicamento reponi verè dicitur in ſpecie. Idea nempe hominis verè repræſentare poteſt omnem hominem: ac proinde Chriſtum pariter ut hominem. Ita ut, qui habet ſcientiam hominis in ſpecie, omnis hominis ſcientiam habeat.


Quæritur 4. Utrum idem ens poſſit collocari in diverſis prædicamentis.

Reſp. Cùm Prædicamenta non ſint inſtituta, niſi ut numerus rerum ſcibilium præcisè reperiatur; unùm quodque ſcibile ſemel tantùm in proprio loco reponi debet ſub genere proprio, & immediato. Alioquin omnia erunt confuſa ſine ordine atque ratione.

CAPUT III.

IN hoc capite prædicamentum abreviatum, ſeu *Cathegoriam*, vel diviſionem abreviatam ſubſtantiæ in ſuas ſpecies, videlicet, tantùm univerſaliores exhibebimus, quam alii vocant arborem Porphirii, authoris, ſcilicet, nomine. Quia ſicut ex arbore fructus dependent, ſic *Cathegoria*, ſeu prædicamentum ſubſtantiæ omnem ſubſtantiam, quæ poteſt eſſe ſubjectum in propoſitione logica, & objectum materiale ſcientiæ exhibet. Hoc autem ita fiet, ut ſimul diviſionis, & compoſitionis methodus, tum quid ſint, & quomodò ordinari debeant prædicamenta clariùs innoteſcat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE


Arbor
Porphiri
Substan tia
Corpo rea
Incorpo rea
Corpus
Anima tum
Inani= matum
Vivens
Sensiti vum
Insen= sitivum
Animal
Ratio nale
Irratio= nale
Homo
Petrus Paulus

Hîc notandum ſolas ſpecies, quæ directè ponuntur ſub Subſtantia, conſtituere prædicamentum Subſtantiæ. Nam hic homo, ſeu individuum contingens non ponitur, niſi ut diviſionis terminus, & finis. Differentiæ verò non ponuntur, niſi ut reperiantur ſpecies, & ut methodus compoſitionis, ac diviſionis clariùs innoteſcat. Nam ex idea generis, & idea differentiæ quælibet ſpecies componitur.

Dices. 1. Animal eſt genus reſpectu hominis, & vivens reſpectu animalis, & omnes denique ſpecies ſuperiores reſpectu inferiorum ſpecierum: ergo non ſolùm ſpecies collocantur in Prædicamento, verùm etiam genera.

Reſp. Ad hoc tantùm inſtituta ſunt Prædicamenta, ut omnis terminus ſubjicibilis, & omne ens ſcibile materiale reperiatur. Ens verò ſcibile materiale eſt ens completum, & ſubjicibile tantùm, quod ſoli ſpeciei convenit, & individuo neceſſario. Genus autem eſt ens incompletum, & prædicabile tantùm. Unde licèt ſuperiores ſpecies ſint genera reſpectu inferiorum; non tamen ponuntur in Prædicamento, quia genus ſunt, ſed quia ſpecies ſunt. Hæc eſt enim ſola ratio, cur in Cathegoria reponantur.

Dices 2. Subſtantia eſt ens ſcibile materiale, & tamen Subſtantia eſt ſummum genus, quod nullum habet ſupra ſe genus; at-

que ideò non eſt ſpecies : ergo non ſola ſpecies eſt ſcibile materiale.

Reſp. Subſtantia ut ſummum genus prædicamenti eſt tantùm ſcibile formale. Sed quia ſubſtantia eſt quædam ſpecies analoga entis, eſt etiam in hac ratione ſcibile materiale.

Inſtabis. Ergo ens debuit reponi in cathegoria ut ſupremum genus.

Reſp. 1. Cùm ens non ſit univocum reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, non poteſt verum genus eſſe.

Reſp. 2. Cùm nullum exiſtat ens, neque ulla ſubſtantia, quæ non ſit in aliqua ſpecie determinatâ; ſufficit ut omnes ſpecies ſubſtantiæ, & accidentis reperiantur : ut omne ſcibile materiale reperiatur. Sed de his ſatis, jam ipſa prædicamenta exhibeamus.

CAPUT IV.

Prædicamentum Subſtantiæ.

SUbſtantia alia eſt corporea, alia incorporea.

Subſtantia incorporea ſeu ſpiritualis alia eſt, quæ corpus humanum informat, & eſt anima rationalis. Alia, quæ nullum corpus informat, & eſt Angelus, & omnes Angelorum ſpecies.

Subſtantia corporea ſeu corpus, aliud eſt ſimplex, aliud compoſitum.

Corpus ſimplex in ſpecie eſt omnium corporum compoſitorum materia prima, primum principium, & primum elementum.

Corpus compoſitum aliud eſt ſimplex compoſitum, & aliud eſt compoſitum miſtum. Simplex compoſitum eſt miſti compoſiti elementum, ſeu principium immediatum, cujus quatuor ſunt ſpecies, videlicet, Terra, Aqua, Aer, & ignis.

Miſtum compoſitum, quod ex prædictis elementis immediatè componitur aliud eſt, perfectum, aliud imperfectum. Quia ſcilicet facilè reſolvitur.

Miſtum imperfectum, ut vapor, exhalatio, & quæ ex ipſis generantur, ut nubes, pluvia, grando, nix, glacies, & quæ in cœlo, vel in aëre apparent metheora, ut cometa, fulgur, & fulmen, & alia hujuſmodi.

Miſtum perfectum aliud eſt vivens, aliud non vivens.

Miſtum perfectum non vivens aliud eſt cœleſte, aliud ſubcœleſte.

Miſtum perfectum cœleſte non vivens, ut ſeptem planetæ, videlicet, Sol, Luna, Venus, Mercurius, Mars, Jupiter, & Saturnus etiam ut ſingulares ſunt, & omnes ſtellæ, tùm in ſpecie, tum in ſingulari.

Miſtum non vivens ſubcœleſte, cujus quatuor ſunt ſpecies, 1. eſt lapis communis; 2. lapis pretioſus, ut Magnes, gemma, & omnes lapidum, atque gemmarum ſpe-

cies 3. Metallum, ut Ferrum, Aurum, Æs, Plumbum, Argentum, Stamnum, & Mercurium; 4. liquor concretus, ut cera, gummi, ſal, ſulphur, & omnes liquorum, qui naturaliter concreſcunt, ſpecies.

Vivens aliud eſt ſenſitivum, aliud inſentitivum.

Vivens inſenſitivum ut planta, cujus quatuor ſunt ſpecies, 1. eſt radix, ut Rapa, Allium, & omnes hujuſmodi radicum ſpecies, 2. eſt herba, ut Borrago, Menta, & omnes herbarum ſpecies; 3. eſt frutex, ut geniſta, Myrtus, & omnes fruticum ſpecies; 4. eſt arbor, ut Pomus, Pyrus, & omnes arborum ſpecies.

Vivens ſenſitivum, ſeu animal aliud eſt rationale, aliud irrationale.

Animal irrationale, ſeu brutum aliud eſt volatile, ut avis, & omnium avium ſpecies; aliud aquatile ut piſcis, & omnes piſcium ſpecies; aliud terrenum, cujus duæ ſunt ſpecies, greſſile, videlicet, & reptile, greſſile, ut bos, leo, capra, & omnes greſſilium ſpecies; reptile, ut ſerpens, & omnium reptilium ſpecies.

Animal denique rationale eſt homo, qui eſt ultima ſpecies Subſtantiæ, quæ in individua tantùm dividi poteſt, ut Petrus, & Paulus.

Ecce igitur omnes ſpecies Subſtantiæ creatæ, atque omnes ſubſtantiæ ſingulares, quæ

poſſunt eſſe ſubjectum in propoſitione logicâ, & objectum materiale ſcientiæ. Minutiſſimas autem, ut vides, ſubdiviſiones prudenter vitavimus, ne diviſionum multitudine obrueretur intellectus.

Quaſdam hîc aſſignat Ariſtoteles Subſtantiæ proprietates ut prædicabilis eſt, 1. eſt quod Subſtantia non dicitur magis, aut minùs Subſtantia per ſe. Id eſt, unum animal non dicitur magis, aut minùs animal, quàm aliud; nec unus homo magis, aut minùs homo, nec magis, aut minùs ſubſtantia, quàm alius. Poteſt autem dici major, aut minor homo per accidens ratione, ſcilicet, majoris, aut minoris quantitatis: aut doctior, & præſtantior ratione qualitatis.

2. Quod ſubſtantia non dicitur per ſe contraria ſubſtantiæ, ſed tantùm per accidens. Sic aqua non eſt contraria igni ratione ſubſtantiæ, ſed tantùm ratione accidentium frigiditatis, ſcilicet, & humiditatis, quæ per ſe ſunt contrariæ calori, & ſiccitati ignis.

Dices. Rationale, & irrationale ſunt contraria, ergo ſubſtantia dicitur contraria ſubſtantiæ per ſe.

Reſp. Rationale, & irrationale ſunt oppoſita diſparata, non autem contraria.

CAPUT V.

Prædicamentum Quantitatis.

IN hoc capite primùm quantitatem Definiemus, 2. quid reponi debeat in prædicamento quantitatis, quid verò rejici determinabimus; deinde ipſum prædicamentum exhibebimus.

Quantitas definitur *illud, à quo aliquid dicitur quantum.* Ut bicubitum, tricubitum de quanto continuo; ternarium, aut quaternarium de quanto diſcreto. Si enim quæras quantus ſit petrus? Reſpondebitur eſt bicubitus, aut tricubitus. Si verò quæras quantus ſit numerus Apoſtolorum? Reſpondebitur duodenarius. Hæc eſt autem definitio nominis, ut patet, quia ut jam diximus, Logica de ente ſcibili materiali veram rei definitionem tradere non debet.

Quæres quid reponi debeat in prædicamento quantitatis.

Reſp. Sola quantitas incomplexa. Omne enim, quod ponitur in prædicamentis, eſt ens incomplexum, ſive illud ſit ſubſtantia, vel accidens. Hinc rejicies eos, qui locum, motum, tempus, & orationem in prædicamento quantitatis reponunt. Quamvis enim omnis locus ſit quantus, & omnis motus ſit quantus, ſimiliter oratio, & tempus; non ſunt tamen ipſa quantitas incom-

plexa, ut patet, ſed aliquid aliud præter quantitatem.

Dices. Quantitas continua dividitur in permanentem, & ſucceſſivam. Succeſſiva eſt, cui repugnat habere partes ſimul exiſtentes, cujuſmodi ſunt motus, tempus, & oratio. Ergo malè rejiciuntur à prædicamento quantitatis.

Reſp. Diviſionem quantitatis in permanentem, & ſucceſſivam non eſſe diviſionem generis in ſpecies, ſed tantùm in accidentia; per accidens enim eſt quantitati, quod ſit permanens, aut ſucceſſiva: neque eſt diviſio quantitatis incomplexæ. Cùm quantitas ſucceſſiva, præter quantitatem, includat etiam motum, qui eſt accidens quantitatis. Quapropter jure meritò rejiciuntur locus, motus, tempus, & oratio, maximè cùm in propriis prædicamentis reponi poſſint, & debeant.

Ecce igitur prædicamentum quantitatis.

Quantitas alia eſt continua, alia diſcreta.

Quantitas continua alia eſt longa ſine latitudine, & eſt linea; alia lata ſine profunditate, & eſt ſuperficies alia longa, lata, atque profunda, quæ dicitur ſolidum.

Quantitas diſcreta, ſeu numerus alius eſt par, ut quatuor, octo. Alius impar ut tria, quinque, novem, & omnes parium, & imparium numerorum ſpecies; alius eſt primus, alius medius, alius compoſitus,

alius denique perfectus, & alius imperfectus, atque horum omnium ſpecies, de quibus agit Arithmetica ſpeculativa, & quas longum eſſet recenſere.

Tres aſſignantur quantitatis proprietates. Prima eſt quod quantitas non dicitur per ſe contraria quantitati. Linea enim non eſt contraria lineæ, nec ſuperficies ſuperficiei, nec binarius ternario, neque ternarius quaternario.

Secunda eſt, quòd non dicitur magis, nec minùs in concreto, nam in abſtracto id omnibus accidentibus commune eſt. In abſtracto dicitur quando conſideratur accidens ſine ſubjecto, ut quantitas, albedo. In concreto autem quando conſiderantur ſimul accidens, & ſubjectum, ut quantum, album. unum igitur quantum non dicitur magis, aut minùs quantum, quàm aliud adverbialiter; poteſt autem dici majus, vel minus quantum adjectivè: ſi videlicet plures habeat partes, aut pauciores; quæ cùm extra poſitæ ſint, ideò quantum non poteſt dici magis, vel minùs adverbialiter. Tota enim ratio, cur unum album v. g. dicatur altero magis, aut minùs album, eſt quia poſſunt eſſe plures gradus albedinis in eadem ſubjecti parte, quod quantitati non convenit.

Tertia eſt quod una quantitas dicatur alteri æqualis, vel inæqualis, & hæc eſt vera quantitatis proprietas; nam duæ præce-

dentes ſunt communes ſubſtantiæ, & quantitati.

Objic. 1. Quantitas non eſt accidens, homo enim eſt neceſſariò corpus, corpus autem hominis eſt neceſſariò quantum, neque enim poteſt eſſe ſine aliquâ quantitate; cùm ſint in eo membra diverſa, ergo quantitas non poteſt poni in Prædicamento accidentis.

Reſp. 1. Quantitas eſt neceſſaria homini indeterminata concedo, determinata nego, nam neceſſarium non eſt quod homo ſit ſeptem palmorum, ſed poteſt eſſe homo, quinque, vel ſex palmorum, ut patet.

Reſ. 2. quantitas eſt accidens corporis ſimplicis, non corporis compoſiti.

Objic. 2. Quantitas eſt accidens, ſed nullus numerus eſt accidens: ergo nullus numerus eſt quantitas. Probatur minor, quia accidens diſtinguitur realiter à ſubjecto; numerus autem non diſtinguitur à re numerata; nam numerus eſt multitudo unitatum, unitas autem non diſtinguitur ab ente realiter, ergo nullus numerus eſt accidens.

Reſp. neg. min. Quamvis enim quodlibet ens ſit unum ens neceſſariò, & quilibet homo unus homo; quodlibet ens poteſt eſſe, & non eſſe numerus, ſi nempe ſit unum tantùm, & ſolitarium; ſi verò multa ſimul fuerint, erunt tunc multitudo, ſeu

numerus, ut manifeſtum eſt. Ratio ergo numeri eſt accidentalis homini.

Inſtabis. Ens aggregatum per accidens non poteſt poni in prædicamento, quia non eſt ens ſcibile materiale; ſed quantitas diſcreta, ſeu numerus, aut multitudo v. g. hominum eſt ens aggregatum per accidens; ergo non poteſt poni in prædicamento.

Reſp. diſting. min. Si conſideres numerum hominum materialiter, ſive ut homines multi ſunt, eſt aggregatum per accidens concedo; ſi verò conſideres numerum hominum formaliter ut numerum, conſiderando, videlicet, præcisè numerum, non conſiderando quod ſit numerus hominum, vel leonum, eſt aggregatum per accidens nego; tunc enim eſt quantitas incomplexa, & ratio, vel idea numeri omne numerabile repræſentare poteſt, idea v.g. Binarii omnem Binarium, ſive ſit Binarius hominum, vel leonum, aut aliorum quorumcumque. Confirmatur quia numerus, ut omnes fatentur, eſt ens ſcibile materiale, & objectum totius Arithmeticæ ſpeculativæ.

CAPUT VI.

Prædicamentum qualitatis.

QUantitatem ſequitur immediatè qualitas altera ſpecies accidentis, quæ

definitur ab Ariſtotele, definitione, ſcilicet, nominis, *Illud, à quo aliquid dicitur quale*;ut ab albedine album, à doctrinâ doctum, & à pietate pium.

Dividitur qualitas, quæ omnium accidentium latiſſimè patet, in quatuor ſpecies. Prima eſt, quæ dicitur figura, vel forma; 2. dicitur vis naturalis, aut imbecillitas; 3. patibilis qualitas,vel paſſio; 4.denique habitus, vel diſpoſitio.

Figura alia eſt plana, alia ſolida.

Figura plana alia eſt, quæ unâ lineâ comprehenditur, & eſt circulus; alia, quæ tribus lineis terminatur, & eſt triangulus, & omnes triangulorum ſpecies. Alia, quæ quatuor lineis comprehenditur, & eſt quadratum,& omnes quadratorum ſpecies;alia denique, quæ lineis quinque terminatur, & eſt pentagonum, & omnes polygonorum ſpecies, quas longum eſſet recenſere.

Figuræ ſolidæ tot ſunt ſpecies, quot figuræ planæ, ut ſphæra, & Cylindrus,quæ circulo reſpondent, pyramis triangulo, cubus quadrato, & cæteræ omnes ſpecies figuræ ſolidæ, quæ objectum totale geometriæ ſpeculativæ conſtituunt.

Secunda ſpecies qualitatis dicitur vis naturalis, aut imbecillitas, ſeu potentia, quâ paſſum reſiſtit, vel impotentia, quâ cedit agenti. Ut gravitas, & levitas; durities, & mollities; aſperitas, & lævitas;

raritas, & denſitas; diaphaneitas, & opacitas; fluiditas, & ſoliditas; rigiditas & flexibilitas; friabilitas, frangibilitas congelabilitas, ductilitas, fuſilitas, vis elaſtica, vis magnetica, vis, quâ Buſſo muſtelam trahit, & omnes qualitates, quæ vulgò Sympathiæ dicuntur, vel Antipathiæ; atque omnes qualitates quæ tùm ad tuendam, tum ad recuperandam, vel deſtruendam ſanitatem, ſive in mineralibus, ſive in plantis, ſive in animalibus reperiuntur, ad vim naturalem, vel imbecillitatem reducuntur.

Tertia, ſpecies qualitatis, eſt patibilis qualitas vel paſſio; dicitur patibilis qualitas, quando in ſuâ causâ conſideratur, ut calor in igne; paſſio autem, quando ab aliquo ſenſu percipitur. Hujuſmodi autem qualitatis ſpecies facilè reperiemus per ordinem ad ſenſus, quibus percipi poſſunt. Alia eſt igitur qualitas viſibilis, ut lumen, & color, & omnes colorum ſpecies; alia audibilis ut ſonus, & omnes ſonorum ſpecies; alia guſtabilis ut ſapor, & omnes ſaporum ſpecies; alia odorabilis, ut odor, & omnes odorum ſpecies; alia denique tactilis, ut calor, & frigus, humiditas, & ſiccitas.

Quarta, denique ſpecies qualitatis eſt habitus vel diſpoſitio, ioem verò ſunt habitus, & diſpoſitio; nam idem quod dicitur

diſpoſitio, quando facilè amoveri poteſt, dicitur habitus, ſi difficilè poſſit amoveri.

Habitus itaque alius eſt bonus, alius malus; alius eſt in corpore, alius in animo.

Habitus corporis alius eſt externus ut pulchritudo, & difformitas; alius internus ut ſanitas; & morbus; & omnes morborum ſpecies.

Habitus animi vel eſt in intellectu, vel in voluntate.

Habitus intellectûs eſt ars, & omnium artium ſpecies, ſcientia, & omnes ſcientiarum ſpecies, opinio, & fides, atque error.

Habitus voluntatis eſt virtus, & omnes virtutum ſpecies; vitium, & omnes vitiorum ſpecies.

Hæ ſunt igitur omnes ſpecies qualitatis, quæ poſſunt eſſe ſubjectum in propoſitione logicâ, & objectum materiale ſcientiæ.

Tres affert Ariſtoteles qualitatis proprietates, quæ proprietates veræ non ſunt, quia nec omni, nec ſoli qualitati ſemper conveniunt.

Prima, eſt quod qualitas dicatur contraria qualitati, ut calor frigori, & vitium virtuti, hæc autem non convenit figuræ.

Secunda eſt quod qualitas dicatur magis, vel minus in concreto, ut magis aut minùs frigidum, aut calidum, hæc etiam figuræ non convenit.

Tertia, denique quod qualitas dicatur ſi-

milis, vel diſſimilis, quæ proprietas actioni, & paſſioni convenit.

Cæterùm proprietates iſtæ non ad logicam, quæ proprietates entis ſcibilis materialis tradere non debet; ſed ad Dialecticam, ſeu communem diſſerendi modum pertinent; ſicut & cæteræ aliorum prædicamentorum, quas attulimus, ne quid intactum relinquere videamur.

CAPUT VII.

Prædicamentum Relationis.

RElatio *eſt illud, à quo aliquid dicitur alterius, vel ad alterum.* Ut pater dicitur filii pater, & æquale dicitur æquali æquale, & ſimile dicitur ſimili ſimile; hæc eſt definitio nominis.

Duplex eſt autem relatio, alia eſt eſſentialis ſubjecto, ſine quâ ſubjectum eſſe non poteſt, quæ vulgò dicitur tranſcendentalis, ut relatio creaturæ ad Creatorem, relatio potentiæ ad actionem, & objectum, de quâ relatione hîc non agitur; cùm ea non ſit accidens. Alia eſt accidentalis, quæ ideò dicitur cathegorica, ſeu prædicamentalis, de quâ hîc agitur; quia hæc advenit ſubſtantiæ, ratione alicujus accidentis, ut paries albus dicitur ſimilis alteri parieti albo ratione albedinis, quæ eſt accidens; & pater dicitur filii pater ratione gene-

rationis activæ, quæ eſt illi accidentalis.

Cùm relatio accidentalis ad omnia ſe extendat prædicamenta, ſingula neceſſariò percurrenda ſunt, ut omnes relationis ſpecies reperiantur; excepto dumtaxat prædicamento ſubſtantiæ, quæ eſt omnium relationum ſubjectum.

Prima igitur ſpecies relationis eſt in ſubſtantiâ ratione quantitatis, ut relatio æqualitatis, vel inæqualitatis, majoritatis, & minoritatis.

Secunda eſt ratione qualitatis, cujus duæ ſunt ſpecies, prima eſt ſimilitudo, ſecunda diſſimilitudo.

Tertia eſt ratione actionis, & paſſionis. Ut relatio agentis ad patiens, & patientis ad agens.

Quarta eſt ratione temporis, cujus tres ſunt ſpecies, nempe, relatio prioritatis, & poſterioritatis, ac ſimultatis. Sic primogenitus eſt prior ſecundògenito, & duo gemelli ſunt ſimul. Sic denique Petrus nunc exiſtens ſimul eſt cum hodierna die.

Quinta eſt ratione loci, cujus itidem tres ſunt ſpecies, nimirum, relatio diſtantiæ, proximitatis, & præſentiæ locati ad locum, vel ad locatum.

Sexta eſt ratione ſitûs, cujus ſex ſunt ſpecies, videlicèt, relatio, quâ aliquid dicitur eſſe dextrorſum, vel ſiniſtrorſum,

deorſum, vel ſurſum, antrorſum, vel retrorſum.

Septima eſt ratione habitûs. Ut relatio induti ad indumentum, & ad ea omnia, quæ quocumque modo habentur.

His adde relationes morales. Prima eſt, quâ multa ſunt unum moraliter, ut multi homines unus populus. Secunda quâ unum eſt multa moraliter, ut rex franciæ, qui ſimul eſt princeps Delphinatûs, & Comes Provinciæ, & cæteræ omnes relationes morales.

Non loquor hîc de relatione logica, quâ multa ſunt unum logicè, quatenùs unâ ideâ repræſentari poſſunt. Vel unum eſt multiplex logicè, quatenùs pluribus ideis inadæquatis repræſentari poteſt. Quia hujuſmodi relationes non ſunt accidentales, ſed neceſſariæ.

Prima proprietas correlativorum eſt, quod ea dicantur reciprocè. Ut priùs dicitur poſteriori prius, & poſterius priori poſterius.

Secunda eſt, quod correlativorum eadem ſit ſcientia. Nam unum ſciri non poteſt, niſi ſtatim innoteſcar aliud. Neque enim ſciri poteſt quid ſit pater, niſi ſimul cognoſcatur quid ſit filius. Hæc eſt vera proprietas logica correlativorum, quatenus ſcilicet ſcibilia ſunt.

CAPUT VIII.

Actionis, & Paſſionis Prædicamentum.

Actio *eſt illud, a quo aliquid dicitur agere*, ut calefacere. Paſſio *eſt id, a quo aliquid dicitur pati*, ut calefieri. Hinc dicitur calefactio activa, & calefactio paſſiva. Hæ ſunt definitiones nominis.

Quia verò actio, & paſſio ſunt una, & eadem entitas, quæ, ut ab agente manat, dicitur actio; & ut in patiente recipitur, dicitur paſſio. Ideò uno nomine utramque exprimi neceſſe eſt, ſi fieri poſſit. Cùm autem omnis actio ſit quidam motus, qui ſive conſideretur ut à movente producitur, ſive ut in mobili recipitur, ſemper dicitur motus: idcirco per motum actio, & paſſio congruè exprimi poſſunt. Quapropter ut omnes ſpecies actionis, & paſſionis reperiamus, motum in ſuas ſpecies dividemus: atque duo illa prædicamenta ſimul trademus, quæ ſeparatim tradi ſine confuſione non poſſunt.

Prima itaque ſpecies motûs eſt motus localis, cujus duæ ſunt ſpecies. Prima eſt motus localis corporis non viventis, ſecunda corporis viventis ſenſitivi, ſeu animalis.

Motus localis corporis non viventis alius eſt ſimplex, alius compoſitus.

Motus ſimplex alius eſt rectus, & alius circularis.

Motus rectus alius eſt ad centrum deorſùm, alius à centro ſursùm, & alius ad horiſontem.

Circularis unus eſt, qualis eſt cœlorum, & aſtrorum motus.

Compoſitus eſt miſtus ex recto, & circulari, qualis eſt motus globi in plano.

Motus animalis alius eſt greſſus, ut eorum, qui gradiuntur pedibus; alius tractus, ut ſerpentum: alius natatus, ut piſcium; alius volatus, ut avium.

Secunda ſpecies motûs eſt ad quantitatem, vel ſcilicet à minori quantitate ad majorem, & eſt accretio; vel à majori ad minorem, & eſt diminutio: vel ad majorem extenſionem, & eſt rarefactio; vel ad minorem extenſionem, & eſt condenſatio.

Tertia ſpecies motûs eſt ad qualitatem, & eſt alteratio.

Quarta ſpecies motûs eſt à non eſſe ad eſſe, & eſt generatio; vel ab eſſe ad non eſſe & eſt corruptio: vel denique ab eſſe ad aliud eſſe, & eſt converſio.

Quinta ſpecies motûs eſt actio vitalis, quæ dicitur immanens; quia manet in ipſo agente tanquam in ſubjecto, atque in organis illius perficitur, cujus quatuor ſunt ſpecies, nempè motus potentiæ vegetativæ, ſenſitivæ, appetitivæ, & rationalis.

Motus potentiæ vegetativæ ſeptem ſunt ſpecies, prima eſt alimenti atractio, ſecunda

alimenti retentio, 3ª. digeſtio, 4ª. diſtributio, 5ª. alimenti in propriam ſubſtantiam converſio, 6ª. ad generationem præparatio, 7ª. excrementi expulſio.

Motus potentiæ ſenſitivæ ſeptem pariter ſunt ſpecies, nempe, tactio, guſtatio, odoratio, auditio, viſio, imaginatio, recordatio.

Motus potentiæ appetitivæ alius eſt circa bonum, cujus quinque ſunt ſpecies, videlicet, gaudium, amor, deſiderium, ſpes, & deſperatio. Alius circa malum, cujus itidem quinque ſunt ſpecies, nimirum, triſtitia, odium, metus, ira, & audacia.

Motus denique potentiæ rationalis eſt duplex, nempe, motus intellectûs, & voluntatis.

Tres ſunt actiones intellectus 1ª. eſt ſimplex apprehenſio, 2ª. judicium, ſeu enuntiatio, & omnes enuntiationis, & primæ apprehenſionis ſpecies, 3ª. diſcurſus, cujus quatuor ſunt ſpecies, videlicet, ars, ſcientia, fides, & opinio, actuales, ſcilicet. Nam horum actuum habitus in prædicamento qualitatis reponuntur.

Motûs autem voluntatis quatuor ſunt ſpecies. Nam vel voluntas movetur ad finem, & eſt intentio; vel de finis acquiſitione gaudet, & eſt fruitio; vel propter finem acquirendum movetur ad media, & eſt electio; vel utitur mediis, & eſt uſus. Uſus tandem vel eſt bonus, ut ſunt omnes

actiones virtutum, vel malus, quales ſunt omnes actiones vitiorum ſpeciales, quas longum eſſet recenſere.

Hîc notandum, ut jam dictum eſt, quod omnes ſpecies motûs, quas enumeravimus, ſi conſiderentur ut ab agente fluunt, ſunt actiones; ſi verò conſiderentur ut in ſubjecto, ſeu patiente recipiuntur, ſunt paſſiones: ſive idem ſit agens, & patiens; ſive diſtinguatur agens à patiente.

Sunt autem actionis, & paſſionis duæ proprietates, ab Ariſtotele traditæ, quæ veræ proprietates non ſunt, quia qualitati conveniunt pariter. Prima eſt quod actio actioni dicatur contraria. Ut calefactio frigefactioni ſive activæ, ſive paſſivæ. Secunda eſt quod dicatur magis, & minùs. Nam pro majori, vel minori virtute agentis intenſior, aut remiſſior eſt actio. Sicut pro majori, vel minori reſiſtentia patientis intenſior, vel remiſſior eſt paſſio.

CAPUT IX.

Prædicamentum Temporis.

Tempus *eſt illud, à quo aliquid dicitur eſſe aliquando.* Ut hâc horâ, vel hodie. 1ª. Species temporis eſt minutum; 2ª. eſt hora, 3ª. dies, 4ª. hebdomada, 5ª. menſis, 6ª. denique eſt annus.

Alii ponunt in prædicamento temporis

ævum, quod eſt, inquiunt, menſura ævorum, quæ initium quidem habent, ſed finem non habent. Cùm autem eorum, quæ finem non habent, nulla poſſit eſſe menſura durationis, ut patet, ævum non poteſt eſſe aliqua ſpecies temporis; unde evidenter colligitur ad prædicamentum temporis ævum non pertinere; maximè cùm illud non ſit accidens, nec ab exiſtentiâ Angeli diſtinguatur. A fortiori hoc intelligendum de æternitate, quæ nihil aliud eſt quàm ipſa Dei eſſentia.

Alii etiam reponunt in Prædicamento temporis tempus præteritum, & futurum; ſed cùm in Prædicamentis diverſæ tantùm ſpecies reponi debeant: nec tempus præteritum, aut futurum ſpecie diſtinguatur à præſenti; manifeſtum eſt neutrum illorum in prædicamento eſſe reponendum.

CAPUT X.

Prædicamentum loci.

LOcus eſt *illud, à quo aliquid dicitur locatum, vel eſſe alicubi*, ut in ſcholâ, vel in aulâ. Loci duæ ſunt ſpecies.

Alius nempè eſt circumſcriptivus, qui ſubſtantiæ corporeæ competit, quæ ita eſt in loco, ut quælibet ejus pars cuilibet parti loci reſpondeat.

Alius eſt definitivus, qui convenit ſub-

ſtantiæ incorporeæ, quæ cùm non habeat partes, quæ partibus loci reſpondeant, & locum ipſum replent; nec infinitè ſe extendat dicitur eſſe definitivè in loco, & locus ejus definitivus. His addi poteſt locus Sacramentalis, qui competit Sacratiſſimo Corpori Chriſti ex ſpeciali modo exiſtendi in loco ſacramentaliter; ſed hic locus ad fidem potiùs, quàm ad ſcientiam pertinet.

CAPUT XI.

Prædicamentum ſitûs.

SItus eſt *illud, à quo aliquid dicitur aliquo modo ſe habere in loco*; hæc eſt etiam definitio nominis, ſicut & præcedentes.

Situs autem ſeptem ſunt ſpecies, nimirum ſtatio, ſeſſio, cubatio, proſtratio, genuflexio, inclinatio.

Habitus denique, ſeu veſtimentum *eſt illud, à quo aliquid dicitur veſtitum*; ut à togâ togatum, & à tunicâ tunicatum, quod cùm ſit artefactum, & concretum ex ſubſtantiâ, & accidente, à prædicamentis meritò rejicitur, nec ſubjectum eſſe poteſt in propoſitione logicâ, nec objectum materiale ſcientiæ. Poteſt autem eſſe ſubjectum in propoſitione Dialecticâ, quæ ad communem tantùm diſſerendi modum pertinet.

Objic. habitus, ut prædicamentum, conſtituit, non ſumitur pro ipſo veſtimento,

ſed pro veſtimenti circa corpus aplicatione, vel adjacentiâ, quæ non eſt artefactum, nec ens concretum, ſed incomplexum; ergo perperam rejicitur à prædicamento.

Reſp. neg. ant. Nam adjacentia habitûs circa corpus nihil eſt præter relationem induti ad indumentum, quæ in prædicamento relationis reponi debet.

Confirmatur ex aliis prædicamentis; nam Quantitas, Qualitas, Actio, & Paſſio conſtituunt diverſa prædicamenta, non ipſa quantitatis, aut qualitatis, actionis, aut paſſionis inhærentia in corpore, neque dividitur ipſa inhærentia quantitatis, aut qualitatis; ſed quantitas ipſa, aut qualitas in ſuas ſpecies dividitur, ut manifeſtum eſt. Sic dividitur tempus in abſtracto in ſuas ſpecies, & locus pariter, non ipſa relatio ad locum, vel ad tempus. Quapropter cùm habitus in abſtracto ſit artefactum, & concretum ex ſubſtantiâ, & accidente, nimirum ex lanâ, & modo eſſendi artificiali, & accidentali; optimè rejicitur à Prædicamentis.

Confirmatur iterùm. Quia illi etiam, qui Prædicamentùm habitûs admittunt, habitum ipſum in ſuas ſpecies dividunt; non ipſam adjacentiam habitûs circa corpus. Sed de prædicamentis ſatis.

Ecce igitur omnem terminum ſubjicibi-

lem, & omne objectum materiale ſcientiæ tradidimus in Prædicamentis; quapropter modò ſcis quid ſit terminus logicus,& quotuplex; quid terminus ſubjicibilis, & quæ ſint ejus ſpecies; quid terminus prædicabilis, & quotuplex ſit prædicabile de quolibet termino ſubjicibili: & quia terminus logicus objectivus eſt ens ſcibile, ſcis etiam quid ſcibile ſit, & quotuplex? quid ſcibile materiale, & quæ ſint ejus ſpecies; quid ſcibile formale, & quotuplex ſcibile formale de quolibet ſcibili materiali.

Quia denique terminus logicus mentalis eſt idea, quæ poteſt eſſe ſcientia,ſcis etiam quid ſit ſcientia, & quotuplex, quid ſcientia materialis & quotuplex ſcientia materialis in potentiâ; quid ſcientia formalis, & quotuplex poſſit eſſe ſcientia formalis de omni, & quolibet objecto materiali ſcientiæ. Quapropter nihil aliud ſupereſt, quàm ſcire quæ ſcibilia materialia ad unam, & eandem ſcientiam, vel partialem vel totalem pertineant; quæ priùs, quæ verò poſteriùs ſcibilia ſint juxta methodum ſcientiæ, hoc autem videbimus in ſequentibus capitibus, in quibus Poſt-prædicamenta tractabimus.

POST-PRÆDICAMENTA

PRÆFATIO.

EX iis, quæ Ariſtoteles tradit in Poſt-prædicamentis, tria hic tantùm explicabimus, quæ neceſſaria ſunt, oppoſita videlicet, quorum eſt una ſcientia; priora, & poſteriora, quæ ſcilicet, priùs, & quæ poſteriùs ſcire oportet; & quæ ſimul ſunt, id eſt, quæ cùm æqualiter univerſalia ſint, vel priùs, vel poſteriùs ad libitum ſciri poſſunt. Hæc autem Poſt-prædicamenta dicuntur, quia, ut manifeſtum eſt, cognitionem Prædicamentorum, ſive omnium ſcibilium præſupponunt. Reliqua verò, quæ tradit Ariſtoteles in Poſt-prædicamentis de modis habere, & de motu, vel in ipſis Prædicamentis jam tradita ſunt, vel inutilia ſunt.

CAPUT XII.

De Oppoſitis.

CUm omnia oppoſita ſint repugnantia; priùs quid ſint repugnantia definire neceſſe eſt.

Repugnantia itaque ſunt, quæ de eodem ſimul affirmari non poſſunt; ut album, & nigrum. Repugnantium verò alia ſunt diſparata, alia oppoſita.

Diſparata dicuntur quæ non præcisè repugnant, ideſt, quæ ita inter ſe repugnant, ut cùm aliis etiam æquè, vel magis repugnent eodem repugnandi modo; ut homo æquè repugnat leoni, & equo eodem repugnandi modo: ſimiliter enim negatur de homine quod ſit equus, aut leo. Album verò magis repugnat nigro, quàm rubro. Unde album, & rubrum, ſicut homo, & leo, ſunt diſparata.

Oppoſita verò dicuntur quæ ita inter ſe repugnant, ut cum nullo alio æqualiter repugnent eodem repugnandi modo; ut album, & nigrum, calidum, & frigidum. Album enim nulli tam repugnat, quàm nigro, & vice verſâ; & ſic de calido, & frigido.

Oppoſitorum quatuor ſunt ſpecies, videlicet relativa, contraria, privantia, & contradictoria.

Relativa ſunt, *quæ id quod ſunt alterius eſſe dicuntur.* Ut pater dicitur filii pater, & majus dicitur minore majus. Porro relativa ſunt ea omnia inter quæ intercedit aliqua relationis ſpecies ex iis, quas in prædicamento Relationis enumeravimus.

Contraria ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant eidem ſubjecto viciſſim inſunt, à quo ſe mutuò expellunt. In hâc definitione quatuor continentur conditiones contrariorum.

Prima eſt, ut ſint ſub eodem genere; ſive illud genus ſit proximum, & immediatum: ſicut albedo, & nigredo ſunt ſub eodem genere immediato, nimirum ſub colore; ſive genus illud ſit remotum, ſicut juſtitia, & injuſtitia ponuntur ſub diverſis generibus, ſcilicet, virtute, & vitio; ſed illis mediantibus ponuntur ſub eodem genere remoto, nempe, habitu. Itaque contraria neceſſariò ſunt ejuſdem Prædicamenti, qualitatis nimirum, vel actionis. Quia hæc tantùm dicuntur contraria; alioquin ſub eodem genere eſſe non poſſent. Hinc excluduntur privantia, & contradictoria, quia non ſunt ſub eodem genere.

Secunda eſt, ut ſub eodem genere maximè diſtent, ideſt, præcisè repugnent; quod eodem modo intelligendum, quo ſuprà. Hinc excluduntur diſparata, & relativa.

Tertia, ut eidem ſubjecto viciſſim inſint, ut calor, & frigus eidem aquæ viciſſim inſunt.

Quarta denique, ut ab eodem ſubjecto ſe mutuò expellant; ut calor expellit frigus ab aquâ.

Contraria alia ſunt mediata, alia immediata.

Immediata ſunt, quorum alterutrum ineſſe ſubjecto neceſſarium eſt, ut ſanitas & ægritudo; quodlibet enim animal eſt neceſſariò ſanum, vel ægrum. Ideò dicuntur

contraria, inter quæ nullum eſt medium.

Mediata verò ſunt, quorum alterutrum ineſſe ſubjecto neceſſarium non eſt; quia videlicet inter ipſa datur medium, ut albedo, & nigredo. Neque enim neceſſarium eſt, ut paries ſit albus, aut niger. Cùm inter albedinem, & nigredinem ſunt alii colores medii, ruber, videlicet, & viridis, & alii etiam.

Privantia ſunt habitus, & privatio illi oppoſita. Habitus hîc dicitur quævis forma, quæ haberi poteſt. Forma verò dicitur quidquid alteri aliquam denominationem tribuit, ut albedo, à quâ paries dicitur, ſeu denominatur albus, albedo igitur dicitur forma, & paries ſubjectum albedinis.

Privatio *eſt abſentia formæ à ſubjecto capaci illam recipere.* Hinc abſentia formæ à ſubjecto incapaci illam recipere non dicitur privatio, ſed negatio. Sic lapis non dicitur cæcus, aut viſu privatus; ſed non videns.

Contradictoria denique ſunt ea, quorum unum eſt alterius negatio. Ut ens, & non ens. Ideò inter contradictoria nullum datur medium, quodcumque enim aſſignaveris eſt neceſſariò homo, vel non homo; ens, vel non ens.

CAPUT XIII.

De Proprietatibus Oppoſitorum.

PRoprietates oppoſitorum ſunt duæ. Prima eſt quod oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt. Secunda eſt quod oppoſitorū eadem ſit ratio, ſeu ſcientia. Hoc autem duplici modo poteſt intelligi de unâ ſcilicet, ſcientiâ partiali, vel de ſcientiâ totali, qualis eſt Logica, vel Metaphyſica. Utrumque enim verum eſt. Impoſſibile namque eſt habere ſcientiam unius oppoſiti, niſi ſimul habeatur alterius ſcientia; cùm una ſit utriuſque ſcientia. Qui enim ſcit, quid eſt pater; neceſſariò ſcit, quid eſt filius, & è contra. Qui ſcit, quid eſt calor; neceſſariò, ſcit, quid eſt frigus. Qui ſcit, quid eſt habitus; neceſſariò ſcit quid eſt ejus privatio. Et qui habet ſcientiam entis; neceſſariò ſcit, quid eſt non ens. Hinc verè dicitur quod oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt. Quia, ut jam diximus, unum clarè cognoſci non poteſt, niſi ſimul clarè cognoſcatur aliud. Hoc autem intelligendum eſt de duobus tantùm quibuſcumque oppoſitis unius ſpeciei, de duobus, videlicet, correlativis, vel duobus contrariis, vel duobus privantibus, aut duobus contradictoriis. Nam omnium ſimul oppoſitorum non eſt eadem ſcientia

partialis, ſeu ſpecifica; ſed totalis, quæ, ſcilicet, omnes ſcientias ſpecificas, quæ ad unum objectum attributionis referuntur, vel ordinantur, amplectitur, qualis eſt Logica, vel Metaphyſica, aut alia ſcientia.

Quia enim v. g. Objectum attributionis Logicæ eſt ens ſcibile, ut ſcibile eſt; Logica debet tractare de omnibus oppoſitis entis ſcibilis. Et primùm de relativis, ſcilicet, de omnibus ſpeciebus entis ſcibilis; de ſcientiâ, & omnibus ſpeciebus ſcientiæ; de cauſis ſcientiæ, de modo ſciendi, & de Methodo ſcientiæ: & quia modus ſciendi eſt quædam argumentationis ſpecies, de omnibus argumentationum, propoſitionum, & terminorum ſpeciebus pariter tractare debet. Hæc enim omnia ad ens ſcibile, ut ſcibile eſt, referuntur.

2. Debet etiam tractare de contradictoriis, ut quid non ſcibile ſit, quid non ſcientia, quid non ſit diviſio, & definitio; quid non ſit terminus, & propoſitio, & argumentatio, &c.

3. De privatione ſcientiæ, & de contrariis ſcientiæ, de cognitione ſcilicet obſcurâ, & inevidente, ſeu de opinione, & fide humana: de cognitione certâ, & obſcurâ, ſeu de fide ſupernaturali, & de ſophiſtarum fallaciis.

Hæc autem omnia demonſtrare debet in propriis locis juxta methodum, & ordinem

ſcientiæ. Quo facto erit tunc perfecta ſcientia entis ſcibilis, ut ſcibile eſt : & ſic optimè intelligitur quomodò oppoſitorum ſit una, & eadem ſcientia vel partialis, vel totalis.

Sic Phyſica, cujus objectum eſt ens corporeum naturale, de omnibus oppoſitis entis corporei naturalis tractare debet, videlicet de omnibus ſpeciebus corporis naturalis, de omnibus accidentibus quæ tum ad corpus naturale in genere, tum ad ſingulas ejus ſpecies referuntur : atque de aliis omnibus quæ ſive corpori naturali in genere, ſive ſingulis ſpeciebus illius privativè, vel contrariè, vel contradictoriè opponuntur, atque horum omnium definitionem, & proprietates demonſtrare debet. Hæc autem paulò fuſius explicavimus, quia ad omnem ſcientiam maximi eſſe momenti perhibentur.

CAPUT XIV.

De Modis Prioris.

Quinque modos enumerat Ariſtoteles, quibus unum dicitur prius altero, ſed qui ad rem non pertinent, atque ad Dialecticam, ſeu communem differendi modum, potiùs quàm ad Logicam ſpectant.

Primus eſt, quo unum dicitur prius tempore; ut Plato prior fuit Ariſtotele.

Secundus quo unum dicitur prius ordine; ut exordium prius eſt narratione.

Tertius eſt quo unum dicitur prius altero dignitate, vel excellentiâ; ut Rex prior eſt ſubditis, aurum, argento, & anima corpore.

Quartus eſt, quo id dicitur prius quod non convertitur eſſendi conſequentiâ, ideſt, quod ab altero rectè infertur; ſed non viciſſim alterum ex ipſo infertur. Sic unum prius eſt duobus, quia licet benè ſequatur, duo ſunt, ergo unum eſt, non tamen ſequitur, unum eſt, ergo duo ſunt.

Quintus denique modus eſt, quo id dicitur prius, à quo licèt reciprocetur eſſendi conſequentia, eſt tamen alteri cauſa ut ſit. Sic prior eſt effectu causâ reciprocâ, quæ ab effectu rectè infertur; atque effectum viciſſim infert. *Ut ortus eſt ſol, ergo dies eſt. Dies eſt, ergo ortus eſt ſol. Rationalis eſt, ergo eſt riſibilis; Riſibilis eſt, ergo eſt rationalis.* Quapropter priora hujuſmodi dicuntur priora naturâ; quia quamvis eodem inſtanti temporis utrumque ſimul exiſtat, unum tamen eſt cauſa alterius. Sic ortus ſolis eſt prior naturâ die, quamvis ſimul exiſtant eodem inſtanti; quia ortus ſolis eſt cauſa diei. Sic rationale eſt prius naturâ riſibili ob eamdem rationem, quia ſcilicet ratio, propter quam homo eſt riſibilis, eſt quia rationalis eſt. Sed his relictis, quæ, ut jam dictum eſt, ad rem non pertinent.

Dicimus unum eſſe prius altero ratione, ſeu ſcientiâ, cujus ſcientia alterius ſcientiam neceſſariò præcedere debet. Poſterius verò, cujus ſcientia ab alterius ſcientia dependet. Sic priora ſunt omnia, quæ ſimpliciora, & univerſaliora ſunt; ut ſpecies omnes ſuperiores ſibi inferioribus priores ſunt, ſive ſint ſpecies ſubſtantiæ, ſive ſint ſpecies accidentis. Sic priores ſunt partes compoſito, quia ſimpliciores ſunt; prior eſt etiam ſubſtantia accidente; quia eſſentia accidentis dependet ab eſſentiâ ſubſtantiæ, cujus eſt accidens; nec poteſt evidenter cognoſci; niſi prius cognoſcatur ſubſtantia, cujus eſt accidens. Inter ſpecies autem ſuperiores accidentis, quæ Prædicamentorum ſumma conſtituunt genera, priores ſunt quæ ſubſtantiæ magis intrinſecæ ſunt, ut quantitas prior eſt qualitate, & qualitas relatione, & ſic de cæteris.

CAPUT XV.

De Modis Simul.

TRes etiam modos enumerat Ariſtoteles, quibus unum dicitur eſſe ſimul cum altero, quibus relictis; quia ad Logicam non pertinent.

Dicimus ea ſimul eſſe, quorum unius ſcientia ab alterius ſcientiâ non dependet; ita ut utrumlibet priùs, aut poſteriùs cogno-

ſcatur indifferens ſit ; niſi aliunde aliquod ſit impedimentum. Sic omnes ſpecies, quæ idem genus immediatè dividunt, & æqualiter univerſales ſunt ; ſimul eſſe dicuntur. Ut Homo, Leo, Equus, & quælibet ſpecies brutorum ; quamlibet enim priùs didiſceris perinde eſt : cùm unius ſcientia ab alterius ſcientiâ non dependeat. Idem de omnibus aliis ſpeciebus æquè univerſalibus dicendum eſt, niſi fortè, ut jam diximus, aliquid obſtet : quia videlicet una ſpecies poteſt eſſe magis nota, quàm altera. Subſtantia v. g. dividitur immediatè in corpoream,& incorpoream ; ſed quia magis nota eſt nobis ſubſtantia corporea, quàm incorporea ; quamvis æquè univerſales ſint; tamen priùs ſcientiam inquirere ſubſtantiæ corporeæ, quàm incorporeæ neceſſarium eſt. Hæc autem eſt unica exceptio, & hic eſt ordo,quo unumquodque ſcibile ſcire neceſſe eſt. Sed hæc ſatis de Cathegoriis, & Poſt-Prædicamentis.

Abſolvimus itaque Primam Logicæ partem, quâ nihil abſtruſius, nihil difficilius occurrit in totâ Philoſophiâ. Alii enim totam penè Metaphyſicam, alii difficillimas totius Philoſophiæ quæſtiones in ipſis Prædicamentis ſine ordine, atque ratione tractare non verentur. Unde non illuminatur, ſed potiùs obruitur intellectus. Nos autem omnia, atque ea tantùm, quæ ad Logi-

cam pertinent, clare & evidenter demonſtravimus: ita ut, ſi hæc benè intellexeris, tuus intellectus ſit directus quoad primam mentis operationem ad omnes ſcientias perfectè acquirendas, út manifeſtum eſt.

PARS SECUNDA LOGICÆ.

TRACTATUS PRIMUS.

PRÆFATIO.

QUAMVIS huc-uſque termini Logici mentalis atque objectivi ſcientiam tradiderimus; quia tamen non ſolùm ſcire: verùm etiam perſæpè diſputare, aliquando verò alios docere neceſſarium eſt; neque hoc fieri poteſt ſine vocibus, in quibus quamplurimæ latent æquivocationes. Ideo quæ remanent propoſitionem, ſcilicet, & Syllogiſmum per ordinem ad voces definire placet. Et quia principia propoſitionis vocalis ſunt termini vocales, ſeu voces; in primo hujus ſecundæ partis tractatu de termino vocali, in ſecundo de propoſitione vocali, & in tertia parte de Syllogiſmo vocali tractabimus; vel potiùs terminum mentalem, propoſitionem mentalem, ſimiliter & Syllogiſmum per ordi-

nem ad voces definiemus. Modò benè memineris neque terminum vocalem, neque propoſitionem, aut Syllogiſmum vocalem, dici terminum logicum, aut propoſitionem, aut Syllogiſmum Logicum niſi æquivocè. Quia videlicet nullus eſt verus Syllogiſmus, nulla vera propoſitio, nullus denique verus terminus, niſi mentalis; quorum loco ſubſtituuntur terminus vocalis, & propoſitio, & Syllogiſmus vocalis. Itaque quoties oritur quæſtio, aut diſputatio de termino, vel de propoſitione, aut Syllogiſmo, ſemper de termino mentali, propoſitione ſimiliter, aut Syllogiſmo mentali intelligenda quæſtio; niſi aliam eſſe diſputantis intentionem manifeſtum ſit. Quæ autem dicturi ſumus de termino vocali adhuc ad primam mentis operationem pertinere, nemo non videt.

CAPUT PRIMUM.

De Nomine.

CUm omnis propoſitio vocalis duobus conſtet terminis, & copulâ, quæ eſt verbum, *eſt*, termini autem propoſitionis vocalis ſint nomina; priùs quid ſit nomen, deinde quid ſit verbum definire neceſſe eſt.

Definitio itaque nominis hæc eſt (*nomen eſt vox ſignificativa ex inſtituto ſine tempore, cujus nulla pars ſignificat ſeparata,*

finita, *& recta.*) Explicatur definitio, nomen igitur eſt *vox*, ſcilicet, humana, quæ eſt ſignum ex inſtituto.

Signum eſt, *quod per ſui cognitionem ad alterius cognitionem nos ducit.*

Signum autem aliud eſt naturale, aliud ex inſtituto.

Signum naturale *eſt illud*, *quod naturaliter ſignificat aliquid.* Ut omnis effectus neceſſarius eſt ſignum naturale ſuæ cauſæ. Sic fumus eſt ſignum naturale ignis. Vox plorantis, vox ridentis, atque omnium brutorum voces ſunt ſigna naturalia vel gaudii, vel triſtitiæ, vel alterius paſſionis, cujus ſunt effectus.

Signum autem ex inſtituto eſt illud, quod ex hominum beneplacito tantùm aliquid ſignificat. Ut ramus appenſus ad feneſtram eſt ſignum ex inſtituto vini vendibilis. Neque enim naturaliter ſignificat vinum vendibile. Sic voces humanæ omnes, quibus utimur in converſatione, & ſermocinatione, ſive ſcripto exaratæ, ſive ore prolatæ ſunt ſigna ex inſtituto.

Nomen dicitur *vox ſignificativa ſine tempore*, id eſt, quæ præter principale ſignificatum nullam temporis differentiam ſignificat. Hinc excluditur verbum, nam, *amo*, v. g. præter principale ſignificatum, quod eſt *amor*, ſignificat adhuc tempus præſens. Iſta verò nomina *hora*, *dies*, *menſis* ſignifi-

cant quidem tempus; ſed præter principale ſignificatum, nullam temporis differentiam ſignificant, ideoque ſignificant ſine tempore.

Præterea nomen dicitur *vox finita*, ſeu determinata, quæ, ſcilicet, aliquid determinatum ſignificat. Ut *homo*, *equus*, *animal*. Non autem infinita, ſeu indefinita, & indeterminata; ut *aliquis*, *omnis*, *nullus*, quæ voces dicuntur ab aliis Syncathegorematicæ, id eſt, conſignificativæ; quia nihil ſignificant, niſi cum aliis fuerint conjunctæ.

Nomen etiam dicitur *vox recta*, id eſt, nominativi caſus; ut Deus, homo. Excluduntur itaque omnes caſus obliqui, ut *hominis*, *homini*, *hominem*; quia nimirum caſus obliqui omnes, ſeu voces obliquæ nihil ſignificant, niſi cum aliis conjunctæ fuerint.

Additur denique, *cujus nulla pars ſignificat ſeparata*, per quod excluditur oratio, cujus partes ſeparatæ ſignificant. Ut *homo eſt animal*. Hîc notandum, quod ſi res eadem duobus nominibus exprimatur, ut quando dicitur, *animal-rationale*, quamvis *animal*, & *rationale* videantur ſeparatim aliquid ſignificare, tamen non idem ſignificant, quod conjuncta; nam *animal-rationale* ſignificat hominem, ſeparata verò non ſignificant hominem. Quapropter *animal-rationale* eſt unum tantùm nomen. Et ſic de

aliis hujuſmodi. Nam in hac propoſitione, *homo eſt animal*, *homo*, & *animal* idem ſignificant ſeparata, ac conjuncta: atque ideo ſunt duo nomina, quod benè notandum eſt.

CAPUT II.

De Termino Logico Vocali.

TErminus Logicus vocalis eſt nomen, ex quo fieri poteſt propoſitio Logica vocalis. Ut in hac propoſitione, *homo eſt animal*, *homo*, & *animal*, ſunt duo nomina, ex quibus conſtat illa propoſitio.

Prima proprietas termini Logici vocalis eſt quod ſit nomen incomplexum, quod unam tantùm ſubſtantiam, vel unum tantùm accidens ſignificat. Si verò plures ſubſtantias, aut plura accidentia ſignificet, ea ſimilia ſunt, ac ejuſdem rationis. Sic *homo*, *leo*, *quantitas*, *qualitas*, ſunt nomina incomplexa: ſimiliter *ſubſtantia corporea*, *vivens ſenſitivum*, *animal-rationale*, *quantitas continua*, *quantitas diſcreta*, ſunt nomina incomplexa; quia unam tantùm ſubſtantiam, vel unum tantùm accidens ſignificant. Et quamvis vox, *leo*, omnem leonem, & vox illa *quantitas* omnem quantitatem, ſignificare poſſint, ſunt tamen nomina incomplexa; quia ea, quæ ſignificare poſſunt, ſunt ſimilia, ſeu univoca, ac ejuſdem rationis.

Secunda proprietas termini Logici vocalis eſt eſſe nomen, quod ſignificat aliquid determinatum, & neceſſarium (ut jam explicavimus de termino objectivo) quia de contingenti non datur cognitio certa, neque de indeterminato datur cognitio clara. Ac proinde neceſſe eſt, ut ſit nomen ſingularis neceſſarii, aut univerſalis.

Nomen ſingulare neceſſarium *eſt illud, quod ſignificat ſingulare neceſſarium.* Ut in hac propoſitione (*Deus eſt omnipotens*) *Deus*, & *omnipotens*, ſunt duo nomina, quæ ſignificant ſingulare neceſſarium. Unde hæc propoſitio dicitur ſingularis.

Nomen univerſale eſt *illud, quod ſignificare poteſt multa, & ex quo fieri poteſt propoſitio univerſalis.* V. g. vox, *homo*, eſt nomen univerſale potentiâ, quia omnes homines ſignificare poteſt, atque ex ipsâ fieri poteſt propoſitio univerſalis; ut *omnis homo eſt Animal:* tuncque erit nomen univerſale actu,

Proprium nominis univerſalis eſt, quod ſit nomen univocum; alioquin non erit unum ſed multiplex: & multiplicis ac diverſæ ſignificationis.

Nomen univocum eſt, quod multa ſignificat ſimilia, ſeu ejuſdem rationis. Vt nomen, *homo*, reſpectu Petri, & Pauli, & aliorum omnium hominum.

Nomen æquivocum eſt, quod multa ſignificat diverſa. Ut nomen, *Canis*, reſpectu canis marini, terreſtris, & cæleſtis.

Nomen verò Analogum eſt, quod multa ſignificat partim ſimilia, & partim diverſa. Ut nomen, *pes*, reſpectu pedis animalis, & ſcamni. Hìc notandum quod idem nomen poteſt eſſe univocum, & analogum, vel univocum, & æquivocum diverſo reſpectu. Nam nomen, *Canis*, quod eſt æquivocum reſpectu canis terreſtris, marini, & cæleſtis, eſt univocum reſpectivè ad omnes canes terreſtres. Similiter nomen, *pes*, quod eſt Analogum reſpectu pedis animalis, & ſcamni, eſt univocum reſpectivè ad omnes pedes Animalium.

Excluditur ergo à ratione termini Logici vocalis omne nomen æquivocum, & Analogum; omne nomen, quod ſignificat aliquid contingens, vel indeterminatum; omne nomen complexum, quod ſignificat ſubſtantiam ſimul, & accidens; ut *quantum*, *quale*, vel diverſas ſubſtantias, aut diverſa accidentia ſimul; omne nomen quod ſignificat multa aggregata per accidens, ut *populus*, *civitas*, *horologium*.

CAPUT III.

Diviſio termini Logici vocalis.

TErminus Logicus vocalis alius eſt ſubjicibilis, alius prædicabilis.

Subjicibilis eſt omne nomen, quod poteſt eſſe ſubjectum in propoſitione Logicâ.

Proprium termini ſubjicibilis vocalis eſt eſſe nomen, quod ſignificat ens incomplexum, neceſſarium, determinatum, & completum; quale eſt omne ſingulare neceſſarium, atque omnis ſpecies ſubjicibilis, quæ uno tantùm nomine confusè exprimitur. Porrò omnes ſpecies termini ſubjicibilis vocalis ſive ſingularis, ſive univerſalis, ſunt cuncta nomina & ſola, quibus ſignificantur omnia, quæ in Prædicamentis reponuntur. Terminus prædicabilis vocalis eſt omne nomen, quod poteſt eſſe prædicatum in propoſitione Logicâ vocali.

Proprium termini Prædicabilis vocalis eſt eſſe nomen, quod ſignificat ens incomplexum, neceſſarium, determinatum, & incompletum. Hujuſmodi autem ſunt nomina, quibus ſignificantur *genus*, *differentia*, *ſpecies Prædicabilis*, & *proprium*; omnes itaque ſpecies termini Prædicabilis vocalis ſunt cuncta nomina & ſola, quibus quatuor illa, quæ de omni, & quolibet

bet termino ſubjicibili Prædicabilia ſunt, ſignificantur.

Nulla eſt alia ſpecies termini Logici vocalis, ut manifeſtum eſt; quapropter rejicienda eſt illa diviſio termini Logici in Cathegorematicum, & Sincathegorematicum, in concretum, & abſtractum, in connotativum, & abſolutum, in terminum primæ intentionis, & ſecundæ intentionis, & alios hujuſmodi, qui paſſim in libris reperiuntur; quia non ſunt termini Logici, ſed potiùs grammatici, quos unuſquiſque pro libito ſuo vel auget, vel minuit. Ita ut ſi qua occurrat in totâ Philoſophiâ difficultas, ſtatim novum terminum addere Logicæ neceſſarium quidam arbitrentur: atque innumeris quæſtionibus Logicam infarcire; tanquam ſi omnes omnium ſcientiarum difficultates in ipsâ Logicâ explicandæ forent. Ne tamen penitùs tibi ſint incognita ea, in quibus alii totam rationem termini Logici conſtituunt; maximè cùm ſæpè diſputare contingat, atque eorum, cum quibus diſputamus, terminos, ſeu modos loquendi non deceat ignorare: præcipuos hujuſmodi terminos explicare decrevi, modo benè memineris non eſſe terminos Logicos; ſed ad ſummum quaſdam affectiones terminorum.

CAPUT IV.

Vulgata diviſio termini Logici.

Dividitur itaquè vulgò terminus in Cathegorematicum, & Sincathegorematicum.

Cathegorematicus, dicitur, qui per ſe aliquid ſignificat determinatum, quod in Prædicamentis reponitur, ut *homo*, *lapis*.

Sincathegorematicus, ſeu conſignificativus dicitur, qui per ſe nihil ſignificat dederminatum, niſi conjungatur alteri; ut *omnis*, *nullus*. Niſi enim dicatur *omnis homo*, vel *omnis lapis*, *omnis* nihil ſignificat determinatum.

Secundò dividitur in concretum, & abſtractum.

Concretus eſt, qui formam, & ſubjectum, vel accidens ſimul, & ſubſtantiam ſignificat. Ut *homo*, *calidum*, ſignificat enim *calidum* ſubjectum calore affectum, & *homo* ſignificat ſubjectum humanitate affectum.

Abſtractus dicitur, qui formam ſolam ſignificat. Ut *Calor*, *Albedo*. *Humanitas*.

Tertiò dividitur in denominantem, & denominatum.

Denominans dicitur, à quo aliquid denominatur; quod ideò dicitur denominatum. Sic *Albedo* eſt terminus denominans parietem album, paries verò eſt terminus denominatus.

Quartò dividitur in connotativum, & abſolutum.

Connotativus dicitur, qui præter principale ſignificatum aliud etiam connotat, ſeu conſignificat. Ut *album*, non enim ſolùm ſignificat *albedinem* verùm etiam ſubjectum albedinis.

Abſolutus verò dicitur, qui unam tantùm rem ſignificat. Ut, *Leo*, *Albedo*, &c.

Hinc vides clarè terminum Cathegorematicum eſſe tantùm denominationem termini ſubjicibilis, qui in Prædicamentis reponitur; Syncathegorematicum verò eſſe affectionem termini univerſalis potentiâ qui fit univerſalis actu quando afficitur termino Syncathegorematico, eique conjungitur, ut *Omnis homo*, prætereà terminum connotativum, concretum, & complexum idem omnino eſſe; quia non unum tantùm ens ſignificant, ſed multa, ſubſtantiam, ſcilicet, & accidens; atque ideo è numero terminorum Logicorum penitùs rejiciendos. Abſtractum verò, denominatum, denominantem, & abſolutum non eſſe terminos Logicos; ſed potiùs quaſdam affectiones, vel denominationes termini Logici, ſicut, & duos reliquos.

Dividitur denique terminus vocalis in terminum primæ intentionis, & ſecundæ intentionis.

Terminus primæ intentionis eſt nomen,

quod ſignificat aliquid ut eſt à parte rei. Ut *Homo eſt animal* hoc enim prima intentione cognoſcit intellectus.

Terminus ſecundæ intentionis eſt nomen, quod ſignificat aliquid ſecundùm ea, quæ ipſi ratione cognitionis noſtræ competunt; ut Subjectum, Prædicatum, Antecedens. Conſequens. Ex eo enim, quod cognoſco v.g. *Hominem eſſe animal*, *homo* dicitur, & denominatur ſubjectum, & animal Prædicatum. Dicuntur autem termini ſecundæ intentionis, quia id ſignificant, in quod intellectus non poteſt, niſi ſecundariâ, & reflexa intentione, ſeu cognitione tendere. Sed de his ſatis, modò de variâ nominum ſuppoſitione agendum, ut in diſputatione vitentur æquivocationes.

CAPUT V.

De variâ nominum ſuppoſitione.

SUppoſitio eſt varia ejuſdem nominis acceptio. Alia eſt ſuppoſitio materialis, alia formalis.

Suppoſitio materialis eſt acceptio nominis pro ſe ipſo. Ut quando dicitur (*homo*) eſt nomen maſculini generis. Dicitur autem ſuppoſitio materialis, quia per illam nomen accipitur pro materiâ nominis. Nomen enim duobus conſtat voce, ſcilicet & ſignificatione; vox eſt materia nominis, ſignificatio eſt forma.

Suppoſitio autem formalis eſt, cùm nomen pro ipſo ſignificato ſumitur. Ut quando dicitur (*Lapis eſt ſubſtantia*) tunc enim accipitur pro re ſignificata.

Suppoſitio materialis vulgò denotatur per articulum græcum (*τὸ*) vel per particulam (*ly*) ut quando dicitur (*τὸ lapis* eſt nomen) vel *ly equus* eſt maſculini generis.

Suppoſitio formalis dividitur in determinatam, & indeterminatam, in collectivam, & diſtributivam.

Suppoſitio determinata eſt, cùm nomen commune pro aliquo determinato accipitur. Ut Philoſophus librum de Cathegoriis conſcripſit; Philoſophus hîc ſumitur pro Ariſtotele.

Suppoſitio indeterminata eſt, cùm nomen pro aliquo indeterminato ſumitur. Ut oculus ad videndum èſt neceſſarius, dexter ſcilicet, vel ſiniſter. Neuter enim eſt determinatè, ſeu disjunctivè neceſſarius, ſed alteruter indeterminatè, ſeu disjunctim.

Suppoſitio collectiva, ſeu copulativa eſt acceptio nominis pro multis ſimul ſumptis. Ut elementum eſt quadruplex; univerſale pariter eſt quadruplex. Fit autem hujuſmodi ſuppoſitio quoties prædicatum propoſitionis numerum ſignificat.

Suppoſitio diſtributiva eſt duplex, prima dicitur pro ſingulis generum, vel ſpecierum; in quâ nomen ſumitur pro omnibus,

& ſingulis individuis alicujus ſpeciei. Ut cùm dicitur, *Omnis homo eſt animal.*

Altera dicitur pro generibus, vel ſpeciebus ſingulorum. Ut cùm nomen non pro ſingulis individuis, ſed pro omnibus tantùm ſpeciebus uſurpatur. Ut, *Omne animal fuit in arca noé*, in ſpecie ſcilicet; quia aliqua tantùm cujuſlibet ſpeciei individua fuerunt in arcâ Noé, non autem omnia. Hæc de variis nominum ſuppoſitionibus diximus, ut vitentur in diſputatione æquivocationis.

CAPUT VI.

De Verbo.

VErbum eſt *vox ſignificativa ex inſtituto, cum tempore, finita, & recta, cujus nulla pars ſignificat ſeparata, & eſt ſemper eorum, quæ de aliis prædicantur nota.*

1. Dicitur *vox ſignificativa ex inſtituto cum tempore*; *ut ſcribo* idem eſt, ac ego ſcribo nunc, ſeu tempore præſenti; atque ideo ſignificat ſcriptionem, & tempus ſimul.

2. Dicitur *vox finita*, id eſt, ut jam explicavimus, determinata, quæ aliquid determinatum ſignificat.

3. Dicitur *recta*, id eſt, indicativi modi, nam in aliis modis non poteſt eſſe nota eorum, quæ de aliis prædicantur, ſeu ſignum unionis prædicati cum ſubjecto. Cùm enim v. g. dicitur, *Petrus eſt juſtus*, vel

Petrus erat juſtus, vel *Petrus fuit juſtus*, vel *Petrus fuerat juſtus*, vel denique *Petrus erit juſtus*, ſemper ſignificatur unio prædicati cum ſubjecto vel præſens, vel præterita, vel futura. Cùm verò dicitur in imperativo modo *eſto juſtus*, vel in optativo *utinam ſis juſtus*, non ſignificatur unio prædicati cum ſubjecto, ut patet, & ſic de cæteris. Ubi vides hîc definiri verbum in ordine ad propoſitionem. Cætera ſunt clara.

Hîc notandum quod in omni propoſitione ſemper reperiuntur ſubjectum, & prædicatum cum verbo ſubſtantivo, *eſt*, vel explicitè, vel implicitè; nam ſi dicatur v. g. *omnis homo poteſt ſentire*, idem eſt ac ſi diceretur, *omnis homo eſt ſenſitivus*, *Petrus ſtudet*, idem eſt ac *Petrus eſt ſtudens*.

PARS SECUNDA LOGICÆ.

TRACTATUS SECUNDUS.

PRÆFATIO.

Jam ſatis de principiis propoſitionis tùm mentalis, tum vocalis egimus, atque de iis, quæ ad directionem intellectûs quoad primam mentis operationem neceſſaria ſunt. Nunc itaque de ſecundâ mentis operatione agendum, ſeu de judicio, quo aliquid de aliquo judicamus, ſeu cognoſcimus.

Omne autem judicium eſt cognitio compoſita ex duabus primis apprehenſionibus; dicitur autem propoſitio mentalis, cujus ſignum eſt propoſitio vocalis. Quando enim cognoſco *hominem* nihil de eo affirmando, vel negando; cognoſco etiam eodem modo *animal*; hæ ſunt duæ primæ apprehenſiones; ſed quando cognoſco, ſeu judico *hominem eſſe animal*, vel *non eſſe lapidem*: tunc eſt ſecunda mentis operatio, ſeu judicium, aut propoſitio; quæ, ut manifeſtum eſt, duabus primis cognitionibus componitur.

Poſſumus autem falli circa propoſitio-

nem Logicam vel ignorando quid ſit, aut tribuendo ei proprietates, quas non habet; vel ignorando quas habet, aut quot ſunt ejus ſpecies, & cujuſlibet ſpeciei proprietates. Quapropter cùm propoſitio Logica ſit quædam ſpecies enunciationis; enunciatio autem ſit quædam ſpecies orationis: Primùm orationem definiemus, atque in ſuas ſpecies dividemus; & cujuſlibet ſpeciei definitionem, & proprietates demonſtrabimus. Deinde quænam ſpecies orationis ſit enuntiatio; quæ ſint enuntiationis ſpecies, & cujuſlibet ſpeciei definitionem, & proprietates. Tandem quæ ſpecies enuntiationis ſit propoſitio Logica, quænam ſit ejus definitio, quæ proprietates, quæ ſpecies, & cujuſlibet ſpeciei definitionem, & proprietates demonſtrabimus. Quo facto directus erit intellectus quoad ſecundam mentis operationem ad omnes ſcientias perfectè acquirendas.

CAPUT PRIMUM.

De Oratione.

ORatio *eſt vox ſignificativa ex inſtituto, cujus aliqua pars ſeparata ſignificat ut dictio, ſeu nomen, ſed non ut affirmatio, vel negatio.* Ut *Lapis eſt ſubſtantia*, hujus enim orationis alia pars eſt lapis, alia pars eſt ſubſtantia, utraque autem ſeparata ſignifi-

cat ut nomen, ſed non ut affirmatio; vel negatio.

Oratio alia eſt perfecta, alia imperfecta.

Imperfecta eſt, quæ non gignit perfectum ſenſum in animo audientis. Ut *Si quis Deo ſervit. Cùm venerit paraclitus. Si Deus eſt ſpiritus.*

Hujus orationis proprium eſt, quod ea ſit planè inutilis.

Oratio perfecta eſt ea, quæ gignit perfectum ſenſum in animo audientis. Ut *Deus eſt immortalis. Deum time, & mandata ejus obſerva.*

Oratio perfecta alia eſt enuntiativa, & alia non enuntiativa.

Oratio non enuntiativa eſt ea, quæ de ſubjecto nihil enuntiat, id eſt, nihil exprimit, nihil ſignificat, cujus quinque ſunt ſpecies.

Interrogativa ſcilicet. Ut, *Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ?*

Deprecatoria. Ut, *Miſerere mei Deus.*

Imperativa. Ut, *Deum time.*

Optativa. Ut, *Utinam ſaperent, & intelligerent.*

Exhortatoria denique. Ut, *Expecta Dominum, & viriliter age.*

Hujus orationis non enuntiativæ prima proprietas eſt, quod ea nihil affirmet, aut neget; ſecunda eſt quod neque vera ſit, neque falſa: ubi enim non eſt affirmatio, vel

negatio, ibi neque veritas, aut falſitas eſſe poteſt in oratione. Tertia illius proprietas eſt, quod ea ſit ad ſcientiam inepta.

CAPUT II.

De Propoſitione.

Enuntiatio perfecta, ſeu, propoſitio *eſt oratio, qua de ſubjecto aliquid enuntiat ſeu, ſignificat.* Proprium propoſitionis eſt, quod ea ſit neceſſariò vera, vel falſa. Propoſitionis duæ ſunt ſpecies, affirmativa nimirum, & negativa.

Propoſitio affirmativa eſt ea, quæ ſubjecto prædicatum ineſſe ſignificat. Ut, *Deus eſt miſericors*. Proprium eſt affirmativæ, quod in materia neceſſariâ ea ſit ſemper vera, & in materia impoſſibili ſemper falſa.

Propoſitio negativa *eſt ea, quæ ſubjecto prædicatum non ineſſe ſignificat*. Ut, *lapis non eſt ſubſtantia.* Proprium eſt negativæ, quod in materia impoſſibili ea ſit ſemper vera, & in materia neceſſaria ſemper falſa. Utrique autem commune eſt, quod in materia contingenti quælibet poſſit eſſe vera, vel falſa.

Propoſitio vera *eſt ea, quæ eſt conformis objecto, ſeu, rei ſignificatæ.* Ut prima. Falſa eſt *quæ non eſt conformis objecto, ſeu, rei ſignificatæ.* Ut ſecunda, videlicet, *lapis non eſt ſubſtantia.* Nam ex eo, quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa.

Propoſitio alia eſt ſimplex, alia compoſita, ſeu, complexa, quæ duabus conſtat propoſitionibus.

Simplex propoſitio eſt ea, quæ uno tantùm ſubjecto, & uno tantùm Prædicato componitur, ſive uno tantùm, ſive pluribus nominibus unum, & idem ſubjectum, atque unum, & idem prædicatum exprimantur. Ut *Homo eſt animal*, vel *Animal rationale eſt diſciplinæ capax* vel *Quantitas continua eſt diviſibilis*. Proprium hujus propoſitionis eſt, quod ea poſſit eſſe clara, modò ſit determinata.

Compoſita propoſitio *eſt ea, quæ duobus ſubjectis, vel duobus prædicatis, ſive uno, ſive pluribus nominibus ea exprimantur, componitur*. Ut quantum eſt album. Nam quantum ſignificat ſimul quantitatem, & quantitatis ſubjectum: album pariter albedinem ſignificat, & ſubjectum illius, quæ ſunt duo prædicata. Sic *Petrus & Joannes aſcendebant in templum*: eſt propoſitio compoſita ex duobus ſubjectis. Sicut iſta. *Populus eſt levis*. Nam populus multa ſubjecta ſignificat, quæ ſunt unum per aggregationem tantùm.

Prima proprietas propoſitionis compoſitæ eſt quod non poſſit eſſe clara. Secunda eſt quod, ſi prædicatum utrique ſubjecto non conveniat, tota propoſitio ſit abſolutè falſa. Nam omnis enuntiatio, ſeu, propoſi-

tio, quæ eſt tantùm vera ſecundùm quid, eſt ſimpliciter falſa, & neganda.

Propoſitio compoſita dividitur in abſolutam, & conditionalem, in cauſalem, diſjunctivam, & exponibilem.

Abſoluta eſt ea, *quæ ſine conditione, vel ſuppoſitione aliquid enuntiat*. Ut *Populus eſt levis. Quantum eſt album*. De quibus paulò ante loquuti ſumus.

Conditionalis *eſt ea, quæ conſtat particulâ, ſi, vel aliâ ejuſdem poteſtatis*. Ut, *ſi ſol lucet, dies eſt. Si luna plena eſt, maris æſtus eſt altior*. Hujuſmodi autem propoſitionis pars prima cum ipsâ conditione juncta, v. g. *ſi Luna plena eſt*, dicitur *antecedens propoſitionis*, poſterior, ſcilicet, *maris æſtus eſt altior*, dicitur *conſequens*, ſeu *ſequela*.

Proprium hujus propoſitionis eſt quod ea ſit vera, ubi conſequutio eſt legitima, quando, ſcilicet, nexus antecedentis cum conſequente eſt neceſſarius; falſa verò ſi nexus antecedentis cum conſequente ſit contingens. Ut falſa eſt iſta, *ſi homo eſt, doctus eſt*, quia non eſt neceſſarium quod doctus ſit, ex eo quod homo eſt.

Propoſitio cauſalis *eſt ea, quæ conſtat duobus propoſitionibus particulâ cauſali connexis*. Ut *Beatus eſt, quia dives eſt*.

Proprium hujus propoſitionis eſt, quod ſi una non eſt alterius cauſa, ſemper falſa eſt, & econtrà ſemper vera, ſi una ſit alterius

Propoſitio alia eſt ſimplex, alia compoſita, ſeu, complexa, quæ duabus conſtat propoſitionibus.

Simplex propoſitio eſt ea, quæ uno tantùm ſubjecto, & uno tantùm Prædicato componitur, ſive uno tantùm, ſive pluribus nominibus unum, & idem ſubjectum, atque unum, & idem prædicatum exprimantur. Ut *Homo eſt animal*, vel *Animal rationale eſt diſciplinæ capax* vel *Quantitas continua eſt diviſibilis*. Proprium hujus propoſitionis eſt, quod ea poſſit eſſe clara, modò ſit determinata.

Compoſita propoſitio *eſt ea, quæ duobus ſubjectis, vel duobus prædicatis, ſive uno, ſive pluribus nominibus ea exprimantur, componitur*. Ut quantum eſt album. Nam quantum ſignificat ſimul quantitatem, & quantitatis ſubjectum: album pariter albedinem ſignificat, & ſubjectum illius, quæ ſunt duo prædicata. Sic *Petrus & Joannes aſcendebant in templum*: eſt propoſitio compoſita ex duobus ſubjectis. Sicut iſta. *Populus eſt levis*. Nam populus multa ſubjecta ſignificat, quæ ſunt unum per aggregationem tantùm.

Prima proprietas propoſitionis compoſitæ eſt quod non poſſit eſſe clara. Secunda eſt quod, ſi prædicatum utrique ſubjecto non convenit, tota propoſitio ſit abſolutè falſa. Nam omnis enuntiatio, ſeu, propoſi-

tio, quæ eſt tantùm vera ſecundùm quid, eſt ſimpliciter falſa, & neganda.

Propoſitio compoſita dividitur in abſolutam, & conditionalem, in cauſalem, diſjunctivam, & exponibilem.

Abſoluta eſt ea, *quæ ſine conditione, vel ſuppoſitione aliquid enuntiat*. Ut *Populus eſt levis*. *Quantum eſt album*. De quibus paulò ante loquuti ſumus.

Conditionalis *eſt ea, quæ conſtat particulâ, ſi, vel aliâ ejuſdem poteſtatis*. Ut, *ſi ſol lucet, dies eſt*. *Si luna plena eſt, maris æſtus eſt altior*. Hujuſmodi autem propoſitionis pars prima cum ipsâ conditione juncta, v. g. *ſi Luna plena eſt*, dicitur *antecedens propoſitionis*, poſterior, ſcilicet, *maris æſtus eſt altior*, dicitur *conſequens*, ſeu *ſequela*.

Proprium hujus propoſitionis eſt quod ea ſit vera, ubi conſequutio eſt legitima, quando, ſcilicet, nexus antecedentis cum conſequente eſt neceſſarius; falſa verò ſi nexus antecedentis cum conſequente ſit contingens. Ut, falſa eſt iſta, *ſi homo eſt, doctus eſt*, quia non eſt neceſſarium quod doctus ſit, ex eo quod homo eſt.

Propoſitio cauſalis *eſt ea, quæ conſtat duabus propoſitionibus particulâ cauſali connexis*. Ut *Beatus eſt, quia dives eſt*.

Proprium hujus propoſitionis eſt, quod ſi una non eſt alterius cauſa, ſemper falſa eſt, & econtrà ſemper vera, ſi una ſit alterius

cauſa. Sic prædicta propoſitio eſt falſa; neque enim homo beatus eſt, quia dives eſt.

Propoſitio disjunctiva *eſt ea, quæ conſtat particulâ, vel, aut aliâ ſimili.* Ut *Numerus eſt par, vel impar. Sol, vel luna movetur.*

Proprium hujus propoſitionis eſt quod ſit ſemper falſa, quotieſcumque inter res disjunctas eſt aliquod medium. Ut ſi quis dixerit, *Paries eſt albus, vel niger*, erit propoſito falſa; quia poteſt eſſe alterius coloris. Si verò nullum ſit medium inter res disjunctas, eſt ſemper vera. Ut *numerus eſt par, vel impar.*

Propoſitio exponibilis, ſeu explicabilis *eſt ea, quæ verbis ſimplex, ſenſu tamen complexa eſt, & obſcura.* Quapropter exigit ut exponatur per aliam, quæ ideo exponens dicitur. Hujus propoſitionis tres ſunt ſpecies, 1a. Dicitur excluſiva, 2a. Exceptiva, 3a. Reduplicativa.

Propoſitio excluſiva *eſt ea, quæ conſtat particulâ excludente.* Ut *Homo tantùm eſt diſcurſivus.*

Proprium hujus Propoſitionis eſt quod ſit falſa, ſi prædicatum ſubjecto non competat. Ut *Petrus tantùm eſt lapis*, vel ſi prædicatum alteri competat. Ut *Magnes tantùm eſt lapis*, vel *Petrus tantùm eſt doctus*; vera autem eſt ſi prædicatum ſoli ſubjecto conveniat. Ut *Homo tantùm eſt riſibilis.*

Propoſitio exceptiva *eſt ea, quæ conſtat*

particula excipiente, præter, aut aliâ ſimili; quæ ſubjectum excludit à prædicato. Ut ſi dicas, *Omne elementum eſt diaphanum præter terram,* idem enim eſt, ac ſi diceres terra non eſt diaphana, alia verò tria elementa ſunt diaphana.

Proprium hujus propoſitionis eſt, quod ſit falſa, ſi excipiatur à prædicato quod excipi non debet, vel excipiatur unum tantùm, cùm plura ſint excipienda; vera autem eſt ſi excipiatur totum, quod excipi debet.

Propoſitio denique reduplicativa *eſt ea, in quâ ſubjectum quaſi duplicatur.* Ut *Homo reduplicativè ut homo*, ſeu quatenus eſt homo, *rationalis eſt*; idem eſt ac ratio, cur homo ſit rationalis, eſt quia homo eſt. Hæc propoſitio eadem eſt cum cauſali; quapropter eamdem habet proprietatem.

Cæterùm omnes hujuſmodi propoſitiones compoſitæ ad ſcientiam inutiles ſunt, quia non poſſunt eſſe claræ, niſi in ſimplices reſolvantur. Ad propoſitionem igitur ſimplicem redeamus.

CAPUT III.

Propoſitionis Simplicis Diviſio.

PRopoſitio ſimplex alia eſt finita, ſeu determinata, alia infinita, ſeu indeterminata.

Propoſitio determinata *eſt ea, quæ conſtat terminis finitis, ſeu determinatis*. Ut *Lapis eſt ſubſtantia. Deus eſt omnipotens.*

Proprium hujus propoſitionis eſt quod poſſit eſſe clara.

Indeterminata *eſt ea, quæ conſtat ſubjecto indeterminato, vel prædicato, vel utroque.* Exempla propoſitionis indeterminatæ, quæ vulgò afferuntur, ſunt iſta, *Lapis eſt non homo*, vel *Non homo eſt lapis*, vel *Non lapis eſt non homo*; ſed manifeſtum eſt propoſitiones hujuſmodi non eſſe propoſitiones. Nulla eſt enim propoſitio, quæ terminis non componitur; *non homo* autem nihil eſt, neque terminus eſſe poteſt, ſicut *non lapis*.

Vera igitur exempla propoſitionis indeterminatæ ſunt iſta, *Aliquis homo eſt animal*, vel *Homo eſt aliquod animal*, vel *Aliquis homo eſt aliquod animal*.

Proprium hujus propoſitionis eſt, quod ſit neceſſariò confuſa; neque enim diſtincta eſſe poteſt, cùm ſit indeterminata, & vaga, & ideo ad ſcientiam inutilis.

Propoſitio ſimplex determinata dividitur in contingentem, & neceſſariam.

Propoſitio contingens *eſt ea, cujus prædicatum ineſt ſubjecto contingenter*. Ut. *Homo eſt albus, Petrus eſt juſtus.*

Proprium hujus propoſitionis eſt primò quod non poſſit eſſe certa, nam de contingenti non datur cognitio certa. Secundò

quod non poſſit eſſe univerſalis vera. Ut *Omnis homo eſt albus, vel doctus*, id enim planè falſum eſt. Singularis verò contingens, ſive ſit affirmativa, vel negativa, poteſt eſſe vera, vel falſa.

Propoſitio neceſſaria *eſt ea, cujus prædicatum neceſſariò ineſt ſubjecto*. Ut, *Deus eſt omnipotens, Homo eſt rationalis.*

Proprium hujus propoſitionis eſt, quod poſſit eſſe clara, & certa, atque ideo ad ſcientiam maximè idonea.

Propoſitio neceſſaria alia eſt ſingularis, alia univerſalis potentiâ, alia univerſalis actu.

Singularis neceſſaria *eſt ea, quæ conſtat ſubjecto ſingulari neceſſario, & prædicato item neceſſario.* Ut *Deus eſt bonus. Sol eſt planeta.*

Univerſalis actu neceſſaria *eſt ea, cujus ſubjecto præfigitur ſignum univerſale.* Ut *Omnis homo eſt animal*, vel *Nullus lapis eſt homo.*

Propoſitio denique univerſalis potentiâ *eſt ea, cujus ſubjecto, quamvis poſſit præfigi ſignum univerſale, nullum tamen actualiter præfigitur.* Cujuſmodi ſunt omnes definitiones, Ut *Homo eſt animal rationale.* Si enim dicatur, *Omnis homo eſt animal rationale*, erit univerſalis actu. Commune eſt tribus prædictis ſpeciebus propoſitionis neceſſariæ quod poſſint eſſe claræ, & certæ, atque ideo ad ſcientiam idoneæ.

CAPUT IV.

De propoſitione Logicâ.

PRopoſitio Logica, quæ, ſcilicet, ad ſcientiam pertinet, quia vel eſt principium concluſionis demonſtrativæ, vel ipſa concluſio Syllogiſmi demonſtrativi, eſt propoſitio evidens & certa. Sive enim in concluſione reperiatur, ſive concluſionem præcedat, eſt ſemper certa, & evidens. Cùm enim Concluſio Syllogiſmi demonſtrativi ſit ſcientia, quæ eſt cognitio certa, & evidens, multò magis propoſitiones quæ præcedunt, & quæ ſunt concluſionis principia, erunt certæ, & evidentes; nam *propter quod unum quodque tale & illud magis.*

Hinc manifeſtum eſt quòd propoſitio Logica non poteſt eſſe compoſita, ſeu complexa; quia hæc non poteſt eſſe clara, neque contingens, quia non poteſt eſſe certa; neque indeterminata, quia eſt neceſſariò confuſa, neque particularis, quia eſt indeterminata.

Proprium eſt igitur propoſitionis Logicæ quod ſit propoſitio ſimplex, determinata, neceſſaria, ſingularis, vel univerſalis; quia hæc tantùm, ut manifeſtum eſt, poteſt eſſe evidens, & certa. Ad hanc itaque propoſitionem Logicam pertinent omnes termini Logici, quos enumeravimus dum de Prædicabilibus, & Prædicamentis egimus.

CAPUT V.

De Propoſitionum Proprietatibus Reſpectivis.

Conſideravimus hactenùs propoſitiones abſolutè, atque earumdem proprietates demonſtravimus. Placet eas modò conſiderare reſpectivè ad ſe invicem, & ad Syllogiſmum, cujus ſunt principia, & proprietates, quæ ipſis reſpectivè competunt, declarare.

Prima eſt converſio, ſeu, potius, convertibilitas. Quia cùm aliquando neceſſe ſit Syllogiſmum imperfectum reducere ad perfectum, ſeu, in meliorem formam commutare: id ſine converſione propoſitionum fieri non poteſt.

Secunda eſt oppoſitio. Quia cùm Syllogiſmus unius ſit propoſitionis ex duabus aliis deductio per legitimam conſequentiam; neceſſe eſt ſcire, quæ neceſſariò ex alia deduci poſſit, quæ verò non poſſit, ſeu, quæ neceſſariò ſequatur ex alia, & quæ non ſequatur. Hoc autem per propoſitionum oppoſitionem dignoſcitur. Primò itaque de converſione propoſitionum, ſecundò de earum oppoſitione tractabimus.

CAPUT VI.

De Converſione propoſitionum.

Converſio propoſitionis *eſt terminorum ejus commutatio ſervatâ eâdem qualitate.* Convertitur enim propoſitio, cùm prædicatum fit ſubjectum, & ſubjectum fit prædicatum, eâdem manente affirmatione, vel negatione, cum eâdem veritate propoſitionis. Duplex eſt autem converſio, ſimplex nimirum, & per accidens.

Converſio ſimplex *eſt ea, per quam convertitur propoſitio eâdem ſervatâ quantitate, eâdemque qualitate.*

Quantitas propoſitionis dicitur univerſalitas, ſingularitas, vel particularitas. Qualitas verò eſt affirmatio, vel negatio, tum veritas, aut falſitas. Si enim quæratur quanta ſit propoſitio? Reſpondetur? univerſalis, vel particularis, aut ſingularis. Si verò quæratur qualis ſit? Reſpondetur, affirmativa, vel negativa, vera vel falſa. His ſuppoſitis.

Converti poſſunt ſimpliciter 1°. omnes univerſales negativæ. Ut, *Nullus homo eſt lapis. Nullus lapis eſt homo.*

2°. Omnes & ſolæ univerſales affirmativæ, in quibus prædicatum eſt differentia, vel ſpecies prædicabilis, aut proprium ſubjecti. Ut, *Omnis homo eſt rationalis: Omne rationale eſt homo. Omnis homo eſt animal ra-*

tionale: Omne animal rationale eſt homo. Omnis homo eſt riſibilis : Omne riſibile eſt homo.

3. Converti poſſunt ſimpliciter omnes particulares, & ſingulares affirmativæ. Ut, *Aliquis homo eſt vivens : Aliquod vivens eſt homo. Hic lapis eſt ſubſtantia* : *hæc ſubſtantia eſt lapis.*

4. Converti poſſunt ſimpliciter omnes particulares, & ſingulares negativæ, in quibus prædicatum, & ſubjectum ſunt diverſæ ſpeciei. Ut, *Aliquis lapis non eſt animal : Aliquod animal non eſt lapis.*

Omnes verò particulares, & ſingulares negativæ, in quibus Prædicatum eſt ſubordinatum ſubjecto, converti non poſſunt ſimpliciter. Ut, *Aliquod animal non eſt homo : Aliquis homo non eſt animal :* non eſt bona converſio, quia Prædicatum *homo* in prima propoſitione eſt ſubordinatum ſubjecto. Et ſic de cæteris.

Converſio per accidens *eſt ea, per quam convertitur propoſitio eâdem ſervatâ qualitate, ſed mutatâ quantitate.* Cùm videlicet univerſalis affirmativa mutatur in particularem affirmativam, vel particularis affirmativa in univerſalam affirmativam, vel univerſalis negativa in particularem negativam, & econtrà.

Converti poſſunt per accidens, 1. omnes propoſitiones univerſales tum affirmativæ, tum negativæ. Ut, *Omnis homo eſt ani-*

mal: Aliquod animal eſt homo. Nullus lapis eſt leo: Aliquis leo non eſt lapis.

2. Converti poſſunt per accidens omnes, & ſolæ particulares affirmativæ, in quibus Prædicatum eſt differentia, vel ſpecies Prædicabilis, aut proprium. Ut, *Aliqua albedo eſt diſgregativa luminis, Omne diſgregativum luminis eſt albedo. Aliqua albedo eſt color diſgregativus luminis, Omnis color diſgregativus luminis eſt albedo. Aliqua albedo eſt diſgregativa visûs; Omne diſgregativum visûs eſt albedo.*

3. Converti poſſunt per accidens omnes particulares negativæ, in quibus Prædicatum, & ſubjectum ſunt diverſæ ſpeciei. Ut, *Aliquis leo non eſt equus: Nullus equus eſt leo. Aliqua quantitas non eſt qualitas; Nulla qualitas eſt quantitas.*

Addunt alii converſionem per contrapoſitionem. Ut, *Omnis homo eſt animal; Omne non animal eſt non homo.* Sed cùm poſterior non ſit propoſitio, cùm, *non animal*, nihil ſit, & ſimiliter, *non homo*, manifeſtum eſt nullam prorſus eſſe poſſe converſionem per contrapoſitionem.

Cæterùm quæ diximus de converſione propoſitionum ad nihil aliud inſervire poſſunt, quàm ad probandum, & demonſtrandum Syllogiſmos imperfectos, & indirectos legitimè concludere, reducendo, ſcilicet, eos ad perfectos primæ figuræ;

quod ſit per converſionem propoſitionum.

CAPUT VII.

De Oppoſitione propoſitionum.

OPpoſitio propoſitionum *eſt repugnantia duarum propoſitionum, quæ eodem ſubjecto & attributo ſeu prædicato conſtant*. Hæc repugnantia vel eſt ratione quantitatis, vel ratione qualitatis, vel ratione utriuſque. Unde triplex eſt oppoſitio, contradictoria ſcilicet, contraria, & ſubalterna, ſeu relativa.

Contradictoria, quæ eſt omnium maxima, quia eſt oppoſitio ratione quantitatis, & qualitatis ſimul, eſt inter duas propoſitiones, quarum una eſt univerſalis, alia particularis, una affirmativa, altera negativa. Ut, *Omnis homo eſt animal*; *aliquis homo non eſt animal*. *Omnis homo eſt doctus*; *aliquis homo non eſt doctus*. Huc reducuntur propoſitiones ſingulares, quarum una negat, quod affirmat altera. Ut *Hic homo eſt doctus*; *Hic homo non eſt doctus*.

Proprium contradictoriarum eſt quod neceſſariò una eſt vera, & altera falſa, ſive in materiâ contigenti ſive in materiâ neceſſariâ. Quapropter ex veritate unius ſequitur falſitas alterius & ex falſitate unius veritas alterius; cujus rei nulla ratio aſſignari poteſt, cùm illud ſit lumine naturali evidentiſſimum.

Oppoſitio contraria eſt inter duas propoſitiones univerſales, quarum una eſt affirmativa, altera negativa. Ut *Omnis hom eſt animal*; *Nullus homo eſt animal*.

Proprium contrariarum eſt 1°. quod i materia contingenti utraque ſit falſa; qui propoſitio contingens non poteſt eſſe univerſalis. Ut *Omnis homo eſt albus*; Nullu homo eſt albus. 2°. quod numquam poſſin eſſe ſimul veræ. Unde ex veritate unius ſe quitur neceſſariò falſitas alterius. Hinc legitimè poſſumus argumentari tùm à contradictoriis, tùm à contrariis diverſimodè tamē Si quis enim aliquam propoſitionē affirmet poſſumus ità redarguere, *Ergo ejus contradictoria eſt falſa*. Si verò neget, *Ergo ejus contradictoria eſt vera*. A contrariis autem, ſi qui aliquam propoſitionem univerſalem, ſiv affirmativam, ſive negativam admittat u veram; ità poſſumus eum redarguere, *Erg ejus contraria eſt falſa*, nam duæ contraria non poſſunt ſimul eſſe veræ. Id autem cla riùs, atque faciliùs fit à contradictoriâ quàm à contrariâ.

Ratio autem, cur duæ contrariæ non poſſunt ſimul eſſe veræ, eſt etiam per ſe manifeſta; nam quod una negat, idem affirmat altera; implicat autem idem ſimu eſſe verum, & non eſſe verum ut patet.

Oppoſitio denique ſubalterna, quæ eſ tantùm oppoſitio relativa, eſt inter dua

propoſ

propoſitiones, quarum una eſt univerſalis, altera particularis, vel ſingularis; ſed utraque affirmativa, vel utraque negativa. Univerſalis dicitur ſubalternans, ſeu ſuperior, particularis dicitur ſubalternata, ſeu inferior. Itaque ex veritate univerſalis ſequitur neceſſariò veritas particularis; ex veritate autem particularis non ſequitur veritas univerſalis. Quia, videlicet, particularis includitur in univerſali, univerſalis autem non includitur in particulari. Sic benè ſequitur, *Omnis homo eſt doctus*; *Ergo aliquis*, vel *hic homo eſt doctus*; *Nullus homo eſt doctus*, *Ergo aliquis*, vel *hic homo non eſt doctus*. Non tamen ſequitur. *Aliquis homo eſt doctus*, *Ergo omnis homo eſt doctus*.

Quartam alii ponunt oppoſitionem, videlicet, ſubcontrariam, Ut *Aliquis homo eſt doctus*, & *Aliquis homo non eſt doctus*. Sed nulla eſt inter illas propoſitiones oppoſitio, ut manifeſtum eſt, quia non eſt idem ſubjectum. Nam *Aliquis homo eſt doctus*, ideſt, Petrus, & *Aliquis homo non eſt doctus*, id eſt, Paulus. Quapropter nulla eſt oppoſitio ſubcontraria, niſi inter propoſitiones ſingulares, quæ idem habent ſubjectum; Ut *Petrus eſt doctus*, & *Petrus non eſt doctus*; hujuſmodi autem propoſitiones ad contradictorias reducuntur. Cùm eandem habeant proprietatem. Una eſt enim neceſ-

ſariò vera, & altera falſa, & ex veritate unius ſequitur neceſſariò falſitas alterius, & è contra, ut manifeſtum eſt.

Ex his igitur, quæ dicta ſunt de propoſitionum oppoſitione, manifeſtum eſt quæ ex aliâ neceſſariò ſequatur, quæ verò non ſequatur ex aliâ; quod imprimis neceſſarium eſt ad legitimam argumentationem. Supereſt ut aliquid dicamus de æquipollentiâ propoſitionum vocalium, & de propoſitionibus modalibus, in quibus cùm nulla, aut parva ſit difficultas, id breviter abſolvemus. Quo facto de diviſione, definitione, & methodo ſcientiæ ſpecialiter tractabimus.

CAPUT VIII.

De Æquipollentia propoſitionum.

ÆQuipollentia propoſitionum *eſt unius propoſitionis obſcura ratione vocum, ex quibus componitur, per aliam, quæ idem clarè ſignificat, explicatio.*

Sic hæc propoſitio (*Nullus homo non eſt Animal*, explicatur per iſtam, quæ idem clarè ſignificat, *Omnis homo eſt Animal*, nam duæ negationes valent affirmationem.

Hæc verò (*Non omnis homo eſt animal*, per iſtam *Aliquis homo non eſt animal.*

Iſta denique, *Omnis homo non eſt animal*, per iſtam, *Nullus homo eſt animal.* Itaque, *nullus non*, ſignificat, *omnis*, *non*

omnis, ſignificat, *aliquis*, *non*, & *omnis non*, ſignificat, *nullus*, ſunt & aliæ hujuſmodi propoſitiones. Verùm in iſtis diutiùs immorari inutile eſt. Irridendi ſunt enim, qui hujuſmodi enuntiationes proponunt, atque ad Grammaticam remittendi; vel ſaltem quid intelligant inquirendum eſt; neque enim de vocibus diſputandum eſt, ſed ſemper clarè loquendum.

CAPUT IX.

De Propoſitionibus Modalibus.

PRopoſitio modalis *eſt ea, qua aliquid enuntiat exprimendo modum, quo prædicatum ineſt, vel non ineſt ſubjecto.* Hæc propoſitio v. g. *Neceſſe eſt hominem eſſe animal*, non ſolùm affirmat hominem eſſe animal, verùm etiam modum, quo animal homini convenit. Quia verò modus eſt quadruplex videlicet, neceſſarius, & contingens, poſſibilis, & impoſſibilis, ideo quatuor ſunt ſpecies propoſitionum modalium, nempe de neceſſario, ut *Neceſſe eſt hominem eſſe animal* de contingenti, ut *Contingens eſt hominem eſſe album.* De Impoſſibili ut *Impoſſibile eſt hominem eſſe lapidem.* De poſſibili, qualis eſt hæc, *Poſſibile eſt hominem eſſe ægrum.*

Proprium propoſitionis modalis eſt, quod veritas propoſitionis modalis pendet ex mo-

do. Nam quoties ea falſa eſt ratione modi, omninò falſa cenſenda eſt, atque neganda. Ut *Neceſſe eſt hominem eſſe doctum*, vel *Contingens eſt hominem eſſe animal*. Utraque enim propoſitio eſt falſa.

Cæterùm proprietates aliæ propoſitionum modalium eædem ſunt, quæ abſolutarum. Quapropter in iſtis diutiùs non eſt immorandum.

CAPUT X.

De Diviſione.

Cum diviſio, & definitio ſint quædam ſpecies enunciationis, proprius hîc eſt de utraque tractandi locus: poſtquàm ſcilicet de enunciatione egimus. Nihil certè tam neceſſarium ad omnem ſcientiam, quàm diviſio, & definitio, ſine quibus nihil penitùs ſciri poteſt. Nam ſine diviſione nulla eſſe poteſt methodus ſcientiæ, ſine qua nulla poteſt eſſe ſcientia. Sine definitione pariter nulla poteſt acquiri ſcientia. Cùm definitio objectiva ſit primum ſcibile de quolibet objecto materiali ſcientiæ, ex cujus cognitione proprietatum ſcientia dependet.

Itaque diviſio eſt quædam præparatio ad ſcientiam omninò neceſſaria. Nam à ſimplicioribus ſemper incipiendum eſt. Definitio autem formalis eſt prima ſcientia, ſeu

prima cognitio certa, & evidens eſſentiæ, ex qua cæteræ cognitiones certæ, & evidentes ejuſdem rei dependent. Unde in omni difficultate, vel diſputatione ſemper à definitione incipiendum, ſemper ad definitionem recurrendum eſt. De utraque igitur accuratè tractabimus in hoc, ſcilicet, capite de diviſione, in ſequenti de definitione, ac tandem de methodo ſcientiæ.

Diviſio igitur eſt *oratio*, ſeu potius *Enunciatio totum in ſuas partes diſtribuens*. Ut *Animal aliud eſt rationale, aliud irrationale*. Vel *Hominis alia pars eſt corpus, alia pars eſt anima*.

Tres ſunt ſpecies diviſionis pro triplici ſpecie totius, & partium; Alia eſt enim diviſio totius in partes integrantes, qualis eſt diviſio corporis humani in caput, pectus, ventrem, brachia, & cætera membra, quæ certè diviſio ad notitiam perfectam corporis animalis omninò neceſſaria eſt. Neque enim perfectè cognoſci poteſt corpus animalis, niſi priùs perfectè cognoſcantur partes omnes, ex quibus componitur.

Alia eſt diviſio totius potentialis in partes potentiales, ſive univerſalis, videlicet generis in ſuas ſpecies, vel differentias. Qualis eſt diviſio ſubſtantiæ in corpoream, & incorpoream. Hæc ad generalem methodum ſcientiæ prorsùs neceſſaria eſt. Inventis enim differentiis ſingulæ ſpecies reperiun-

tur, quælibet ſuo ordine, quo ejus ſcientia debet inquiri.

Alia eſt denique diviſio totius eſſentiali in partes eſſentiales, ſive phyſicas, nempe materiam, & formam. Ut ſi hominem dividas in corpus, & animam: ſive metaphyſicas, nempe, genus, & differentiam. Ut ſi hominem dividas in animal, & rationale. Hæc autem tum ad generalem, tum ad ſpecialem ſcientiæ methodum ſpectat. Ubi nota quod ea, quæ non componuntur partibus realiter diſtinctis dividi tantùm poſſunt diviſione metaphyſicâ. Quæ verò componuntur partibus realiter diſtinctis tum phyſicâ, tum metaphyſicâ diviſione dividi poſſunt. Nulla eſt alia diviſio ad ſcientiam utilis.

Diviſionis autem tres ſunt proprietates.

Prima eſt quod diviſum plus debet continere, quàm ſingula membra dividentia. Hinc vitioſa eſt hæc diviſio. *Animal aliud eſt ſenſitivum, aliud homo, & aliud brutum.* Nam *ſenſitivum*, quod eſt unum membrum diviſionis eſt convertibile cum diviſo, & æquè latè patet. Hæc autem bona eſt. *Animal aliud eſt rationale, & aliud irrationale.*

Secunda eſt quod diviſum debet adæquari membris dividentibus ſimul ſumptis. Quapropter vitioſa eſt hæc diviſio. *Vivens aliud eſt homo, & aliud brutum.* Nam *vivens*, quod eſt diviſum, latiùs patet, quàm

homo, & brutum ſimul. Quandoquidem etiam complectitur plantam. Hæc igitur erit legitima. *Vivens aliud eſt ſenſitivum, & aliud inſenſitivum.*

Tertia eſt quod membra dividentia debent eſſe proxima, & immediata. Unde ineptæ ſunt diviſiones ſequentes. *Hominis alia pars eſt caput, & alia pectus. Subſtantia alia eſt corporea, & alia vivens.* Iſtæ verò legitimæ ſunt. *Hominis alia pars eſt corpus, & alia pars eſt anima. Subſtantia alia eſt corporea, & alia incorporea, ſeu ſpiritualis.* Exempla legitimæ diviſionis quàmplurima jam tradidimus in Logica, quæ videre poteris, & attentè conſiderare.

CAPUT XI.

De Definitione.

DEfinitio eſt *oratio*, ſeu potiùs *enunciatio explicans naturam rei.* Ut *Homo eſt animal rationale.* Ubi notandum quod *homo* eſt definitum, & *animal rationale* eſt definitio.

Alia eſt nominis, alia rei definitio.

Definitio nominis *eſt ea, quæ quid nomen ſignificet, clarè explicat.* Fit autem definitio nominis, quotieſcumque res per nomen ſignificata clarè deſignatur per unum accidens, quod ſoli rei convenit, vel per plura, quæ ſeparata rebus aliis convenire poſ-

ſunt, non item conjuncta. Ut ſi quæram ab aliquo, dic mihi quid ſit *homo?* Ille autem non intelligens quid per illam vocem *homo*, ſignificetur, reſpondeat dic mihi tu priùs quid per illam vocem intelligas: deinde dicam tibi quid ſit. Tunc proferam definitionem nominis dicendo, videlicet, *Homo eſt illud, quod loquitur, & ratiocinatur.* Hæc eſt definitio nominis per accidentia, quæ ſimul ſumpta ſoli homini convenire poſſunt.

Sic definitiones omnes, quas tradidimus in Prædicamentis, ſunt definitiones nominis per unum accidens, quod ſoli rei convenire poteſt. Ut *Quantitas eſt illud, à quo aliquid dicitur quantum.* Qualitas *Eſt illud, à quo aliquid dicitur quale.* Quotieſcumque igitur in diſputando occurrit vox ambigua, vel cujus ignoratur ſignificatio, ſtatim ad definitionem nominis recurrendum eſt.

Definitio rei alia eſt phyſica, & alia metaphyſica.

Definitio phyſica eſt ea, quæ rei naturam, ſeu eſſentiam explicat per partes eſſentiales phyſicas, per materiam, nimirum, & formam, quæ realiter diſtinguuntur. Sic *homo* phyſicè definitur *Compoſitum ex corpore humano, & animâ rationali.* Hujuſmodi definitio iis tantùm rebus convenire poteſt, quæ habent partes realiter diſtinctas.

Definitio metaphyſica *eſt ea, quæ rei na-*

turam explicat per partes eſſentiales metaphyſicas, ſcilicet, per genus & differentiam, quæ non diſtinguuntur realiter phyſicè. Ut *Homo eſt animal rationale*. Hæc autem definitio non ſolùm convenit rebus, quæ carent partibus realiter phyſicè diſtinctis: verùm etiam aliis convenire poteſt.

Partes eſſentiales phyſicæ, quæ realiter diſtinguuntur, atque ab invicem ſeparari poſſunt, dicuntur materia; & forma, ad differentiam partium eſſentialium metaphyſicarum, quæ realiter phyſicè non diſtinguuntur, neque poſſunt ab invicem ſeparari. Sunt enim tantùm diverſi conceptus ejuſdem rei. Quapropter alio nomine vocantur genus, & differentia.

Quotieſcumque igitur fit definitio in quacumque ſcientiâ, ſive phyſicâ, ſive Logicâ, vel Medicinâ, per partes, quæ realiter diſtinguuntur; illæ partes vocantur materia, & forma, atque definitio dicitur phyſica: Quoties autem definitio fit per partes, quæ realiter non diſtinguuntur; illæ partes dicuntur genus, & differentia, atque definitio dicitur metaphyſica.

Tres ſunt proprietates definitionis.

Prima eſt quod ea ſit clarior definito. Alioquin non erit *Oratio explicans naturam rei*. Unde iſta definitio eſt inepta. *Anima eſt numerus ſeipſum movens*. Quia non eſt clarior definito.

Secunda eſt quod ea ſit brevis, nihilque ſit in ea mancum, aut ſuperfluum: Quapropter hæc definitio (*Homo eſt animal rationale mortale*) non eſt legitima. Quia mortale eſt ſuperfluum. Omne ſiquidem animal eſt mortale. Quare in hac definitione homo dicitur bis mortale. Sequens pariter definitio eſt inepta. *Homo eſt vivens rationale.* Quia deeſt illi aliquid eſſentiale, nempe, ſenſitivum.

Tertia eſt quod definitio ſit reciproca cum definito: ita ut omni & ſoli definito conveniat. Hinc illa uſu trita axiomata. *Cui convenit definitio, convenit definitum. Cui convenit definitum, convenit definitio. Cui non convenit definitio, non convenit definitum,* & econtrà.

Ad hoc autem ut definitio ſit clarior definito, atque omni, & ſoli definito conveniat: Nihilque ſit in ea mancum, aut ſuperfluum. Cum res quælibet habeat aliquid eſſentiale, quod eſt commune multis ſpecie differentibus, nempe, genus; & aliquid eſſentiale, per quod differt ab omnibus ſpecie differentibus, ſcilicet, differentiam: vel ſaltem habeat aliquid, quod verè ſubſtitui poteſt loco generis, & differentiæ. Ideò neceſſe eſt, ut omnis, & quælibet definitio conſtet genere immediato, & differentiâ proximâ, vel materiâ & formâ immediatis, vel ſaltem aliquibus, quæ verè ſubſtitui

poſſint loco generis,& differentiæ, per quæ clarè rei natura explicetur. Quædam enim non habent verum genus, Ut Deus, Ens, Subſtantia, Accidens. Aliquid tamen ſubſtitui poteſt in horum definitione loco generis, atque natura eorum clarè poteſt explicari. Ut in proprio loco fiet manifeſtum.

Alia ſunt, quorum differentia eſſentialis clarè, breviterque paucis verbis exprimi nequaquam poteſt. Qualia ſunt plantæ, & bruta animalia. Nam horum differentia eſſentialis in ſpeciali quadam Organiſatione conſiſtit, quæ licèt ipſis etiam oculis clarè percipi poſſit; paucis tamen verbis exprimi clarè non poteſt. Quapropter in horum definitione loco differentiæ rectè ſubſtituitur proprium. Quia id paucis verbis exprimi poteſt.

Sic igitur definiuntur Bruta omnia per genus & proprium. Ut *Leo eſt animal rugibile. Equus eſt animal hinnibile. Bos eſt animal mugibile.* Quaſi diceretur. Leo eſt animal eâ præditum organiſatione, ex qua fluit rugibilitas. Et ſic de cæteris. Hoc igitur modo, vel alio prædicto, ſcilicet, per verum genus, & veram differentiam definiri poſſunt omnis ſubſtantia incomplexa, & omne accidens pariter incomplexum; ſive omnia, quæ in Prædicamentis reponuntur.

Omnia verò entia complexa definiri nequaquam poſſunt, niſi incomplexè conſi-

Digitized by Google

derentur. Nam v. g. Populus, Horologium, ſunt entia complexa ex ſubſtantia, & accidente. Populus enim ſunt homines multi. Unde, populus, non ſolùm dicit hominem, verùm etiam numerum. Debet ergo priùs definiri homo incomplexè dicendo, videlicet, *Homo eſt animal rationale*. Deinde numerus definiendus eſt pariter incomplexè dicendo *Numerus eſt multitudo unitatum.*

Objic. Populus verè definitur. *Hominum multitudo ſub uno magiſtratu, & ſub iiſdem legibus* Sic exercitus verè definitur *militum multitudo ſub uno ſummo Imperatore.* Ergo ens complexum verè poteſt definiri.

Reſp. Conceſſo antec. neg. conſeq. Quando enim ſic definitur Populus, vel exercitus, conſideratur ut unum ens morale incomplexum. Definitur ſiquidem unitas moralis, ſeu relatio illa, quam habent multi homines ad unum magiſtratum, & ad eaſdem leges; vel multi milites ad unum ſummum Imperatorem. Relatio autem eſt ens incomplexum: licet omnis relatio ſit alicujus, & ad aliquid.

Cæterùm maxima difficultas eſt in reperiendâ verâ cujuſque rei definitione. Quàpropter in hoc maximè laborandum eſt, nihilque priùs tentandum. Cùm ſine verâ rei definitione nihil de illa penitùs ſciri poſſit. Quomodò autem inquirenda ſit definitio, Paulò-poſt declarabimus. Priùs enim quæ

vulgò proponitur, breviter ſolvenda quæſtio.

CAPUT XII.

Vtrum Diviſio, & Definitio ſint Enunciationes perfectæ.

QUæritur utrum diviſio, & definitio ſint enunciationes perfectæ. Vulgò enim dicitur eas eſſe tantùm orationes imperfectas, quæ nullam affirmationem continent. Ut hæc diviſio. *Animal aliud rationale, aliud irrationale*. Et hæc definitio. *Animal rationale.*

Reſp. 1°. Cùm definitio ſit *Oratio explicans naturam rei.* Ut conſtat ex illius definitione. Manifeſtum eſt quod (*Animal rationale*) non eſt definitio; ſed terminus Logicus duntaxat; nimirum, ſpecies prædicabilis. Nam definitio rei naturam explicare nequaquam poteſt, niſi cujus rei natura ſit, deſignaverit. Quod ſine perfecta enunciatione fieri non poteſt. Alioquin neque naturam, neque rem ipſam explicabit. Cùm unum ſine alio fieri non poſſit. Quantumvis enim quis dixerit (*Animal rationale*) nemo tamen intelliget aut naturam eſſe, aut cujus rei natura ſit: niſi clarè dicat, *Homo eſt animal rationale*. Quapropter definitio, ut patet, eſt enunciatio perfecta.

Reſp. 2°. Idem dicendum de diviſione,

quæ ſine judicio fieri non poteſt. Dum enim divido hominem in Corpus & Animam, neceſſariò judico aliam hominis partem eſſe corpus, & aliam partem eſſe Animam. Judicium autem eſt enunciatio perfecta, ut perſpicuum eſt.

CAPUT XIII.

De Methodo Scientiæ.

METhodus ſcientiæ eſt ordo, quo procedere debemus ad inquirendam ſcientiam. Ordo autem hic eſt, ut jam dictum eſt initio Logicæ, ut ſemper à ſimplicibus ad compoſita, & ab univerſalioribus ad minùs univerſalia procedamus.

Vel igitur res, cujus ſcientiam inquirimus, eſt ſimplex, vel compoſita. Si ea fuerit compoſita, priùs eſt reſolvenda per diviſionem mentalem, vel in partes Phyſicas, ſeu realiter Phyſicè diſtinctas; ſi hujuſmodi partes habuerit. Vel in partes Metaphyſicas. Sic dividitur Syllogiſmus in partes realiter diſtinctas, in propoſitiones videlicet, & propoſitio in terminos. Deinde quæritur definitio, & proprietates termini; poſteà quæritur definitio propoſitionis, & proprietates: ac tandem Syllogiſmi definitio; & proprietates; & ſic diviſionem ſequitur compoſitio.

Sic *homo* dividitur, ſeu reſolvitur in

partes Metaphiſicas, ſcilicet, in *Animal rationale*, *animal* reſolvitur in *vivens ſenſitivum*, vivens in *corpus animatum*, corpus *in ſubſtantiam*, ſubſtantia denique reſolvitur in *ens*. His ſuppoſitis.

Quæritur 1°. ſcientia entis, nimirum, illius definitio, & proprietates; Deinde ſubſtantiæ: poſteà corporis, viventis, animalis; uſque dum venias ad hominem quia impoſſibile eſt ſcientiam rei compoſitæ acquirere, niſi priùs ſcias omnia, ex quibus ipſa componitur. Unde perſpicuum eſt quanti momenti ſit diviſio, ſeu reſolutio ad omnem ſcientiam ſive generalem, ſive ſpecialem. De methodo generali ſcientiæ vide quæ dicta ſunt initio Logicæ dum de methodo generali ſcientiæ, & in Poſt-prædicamentis. Hîc enim de ſpeciali tantùm methodo ſcientiæ loqui in animo eſt, quomodò, videlicet, cujuſlibet rei ſcientia inquirenda ſit.

Suppoſitò igitur quod res, cujus inquiritur ſcientia, fuerit ſimplex; aut ſi fuerit compoſita, priùs ſit facta reſolutio, de qua jam loquuti ſumus: & quod priùs nota ſint omnia, ex quibus res ipſa componitur. Ut ſi velim v. g. hominis ſcientiam inquirere, priùs debeo inquirere ſcientiam entis, ſubſtantiæ, corporis, viventis, animalis. Hoc ita ſuppoſito. Cùm cujuſlibet rei ſcientia nihil aliud ſit, quàm cognitio certa, &

evidens ipſius naturæ, ſeu eſſentiæ, & proprietatum, quæ ab ejus eſſentia neceſſariò fluunt.

Nam res quælibet multas habet formalitates, ſeu rationes ſcibiles, nempè, genus, differentiam, ſpeciem Prædicabilem, & proprium; methodus ſcientiæ neceſſariò exigit, ut eadem res in diverſos hujuſmodi conceptus dividatur (quia plures formalitates ſimul diſtinctè percipere non poſſumus) ut ſic per diviſionem præparetur via definitioni.

Sic divido hominem in *animal*, in *rationale*, *admirativum*, *riſibile*, *artium*, *&* *ſcientiarum capax*, & alia, quæ quidem clarè, nondùm tamen certò cognoſco de homine. Quia, videlicet, ipſum ſentientem video, ratiocinantem audio, admirantem, ridentem, artes, & ſcientias diſcentem percipio. Unde horum actuum potentias illum habere clarè cognoſco. Nam ab actu ad potentiam valet conſequentia. Hujuſmodi autem potentias eſſe homini neceſſarias nondum ratione certâ, & neceſſariâ cognoſco, aut quænam illarum ſint proprietates hominis, vel eſſentia illius.

Cùm igitur ſciam cuilibet rei neceſſariam eſſe illius eſſentiam, neceſſarias pariter eſſe, quæ ab illius eſſentia fluunt, proprietates. Quæro ſtatim hominis eſſentiam, ſeu definitionem, quæ cum genere, & dif-

ferentiâ conſtet: primùm quæro quodnam ſit genus hominis: deinde quænam ſit ejus differentia. Ut autem inveniam genus hominis, attentè conſidero quis horum conceptuum ſit univerſalior, & communis omnibus ſpecie tantùm differentibus ab homine; tuncque clarè percipio *animal* eſſe quid univerſalius cæteris omnibus, & per partium enumerationem cognoſco illud eſſe commune cunctis ſpecie tantùm differentibus. Unde certò, & evidenter cognoſco *animal* eſſe genus hominis.

Poſteà conſidero quis reliquorum conceptuum ſit univerſalior, atque omni, & ſoli homini conveniens; tuncque clarè cognoſco quod *rationale* ſit quid univerſalius reliquis omnibus, atque per partium enumerationem quod omni, & ſoli homini conveniat. Unde certò, & evidenter percipio quod *rationale* ſit hominis differentia eſſentialis. Ac proinde quod *Animal-rationale* ſit vera, atque legitima hominis definitio. Idque confirmari poteſt per definitionem, & proprietates definitionis. Quo facto per definitionem hominis omnes illius proprietates demonſtrantur.

Nam ſicut ab eſſentia neceſſariò fluunt proprietates. Ita etiam à definitione, ſeu cognitione certâ, & evidenti eſſentiæ fluunt neceſſariò, & quaſi ſua ſponte cognitiones certæ, & evidentes proprietatum. Ita ut

qui legitimam definitionem habuerit, totam penè rem confecerit. Semper itaque à definitione incipiendum. Sed de his adhuc dum de inventione medii, atque alibi etiam tractabimus.

Hucuſque naturam, & proprietates propoſitionis Logicæ, atque eorum omnium, quæ ad propoſitionem Logicam referuntur, aut ipſi opponuntur, clarè, & evidenter, ſicut promiſeramus, tradidimus. Ita ut ſi benè intelligas omnia tuus intellectus ſit directus quoad ſecundam mentis operationem ad omnes ſcientias perfectè acquirendas, ut manifeſtum eſt. Supereſt igitur ut directioni intellectûs quoad tertiam mentis operationem incumbamus, quod in ſequenti parte Deo dante præſtabimus.

PARS TERTIA LOGICÆ.

TRACTATUS PRIMUS.

De modo ſciendi.

CAPUT PRIMUM.

IN hac tertia parte agitur de tertia mentis operatione Logicâ, quæ eſt actus intellectûs, quo ex duabus cognitionibus certis, & evidentibus tertiam eruit pariter certam, & evidentem. Hæc autem modus ſciendi rectè dicitur. Cùm enim modus ſciendi nihil aliud ſit, quàm modus acquirendi ſcientiam, ſeu deveniendi ad cognitionem certam, & evidentem; nulla verò ſit ſcientia, niſi concluſio Syllogiſmi demonſtrativi: neque aliud ſit modus eruendi concluſionem certam, & evidentem, quàm ipſa forma Syllogiſmi demonſtrativi, quâ ita diſponuntur propoſitiones; ut ex duabus præcedentibus tertia neceſſariò eruatur. Hinc manifeſtum eſt modum ſciendi nihil aliud eſſe, quàm Syllogiſmum demonſtrativum.

Poſſumus autem falli multipliciter circa

Syllogiſmum demonſtrativum, vel,ſcilicet ignorantes quid ſit, vel tribuentes ei proprietates, quas non habet, vel ignorantes quas habet, & quot ſint ejus ſpecies, atque cujuſlibet ſpeciei definitionem, & proprietates. Docebimus ergo quid ſit Syllogiſmus demonſtrativus, & quæ ſint ejus proprietates: tum quot ſint ejus ſpecies, & cujuſlibet ſpeciei definitionem, & proprietates.

Sed quia Syllogiſmus demonſtrativus eſt quædam ſpecies Syllogiſmi in genere, & Syllogiſmus eſt quædam ſpecies Argumentationis; methodus ſcientiæ exigit, ut priùs demonſtretur quid ſit Argumentatio, & quæ ſint ejus proprietates, & ſpecies. Deinde quid ſit Syllogiſmus, quænam ſint illius proprietates, & ſpecies: tum quænam ſit cujuſlibet ſpeciei definitio, & quæ ſint proprietates. Ac tandem quid ſit Syllogiſmus demonſtrativus, quæ ſint illius proprietates, & ſpecies: tum cujuſlibet ſpeciei definitio, & proprietates, atque aliorum pariter, quæ Syllogiſmo demonſtrativo opponuntur. Quo facto directus erit intellectus quoad tertiam mentis operationem ad omnes ſcientias perfectè acquirendas.

CAPUT II.

De Argumentatione.

Argumentatio *Eſt oratio, in qua unum ex alio infertur.* Ut *Omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt ſcientiarum capax.* Dicitur unum ex alio inferri, quando ſignificatur una propoſitio ſequi ex alia: quod fit per particulam *ergo*, vel aliam æquivalentem, quæ dicitur illatio. Propoſitio, ex qua alia infertur, dicitur *Antecedens.* Quæ verò infertur ex alia dicitur *Conſequens.* Illatio autem, ſeu connexio antecedentis cum conſequente dicitur, ſequela vel conſequentia.

Proprium argumentationis eſt, quod conſequens ex antecedente legitimè inferatur. Ut *Omnis homo eſt ſenſitivus, ergo omnis homo eſt animal.* Ex eò enim, quod ſit *ſenſitivus*, rectè infertur quod ſit *animal.* Cùm omne ſenſitivum ſit animal. Quapropter ſi conſequens non inferatur legitimè ex antecedente, nulla erit argumentatio. Ut *Omnis homo eſt ſubſtantia, ergo omnis homo eſt lapis.* Neque enim ex eo, quod homo ſit ſubſtantia, ſequitur quod ſit lapis. Cùm omnis ſubſtantia non ſit lapis.

Proprium eſt etiam argumentationis, quod ex antecedente vero nunquam poſſit inferri conſequens falſum. Hinc rectè dicitur con-

ſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Ex antecedente autem falſo erui poteſt aliquando verum, & aliquando falſum. Ut *Homo eſt equus: ergo eſt animal*. Hinc dici non poteſt, antecedens eſt falſum, ergo & conſequens.

Dividitur autem argumentatio in Syllogiſmum, Enthymema, inductionem, Dilemma, Soritem, & Epicherema, de quibus ſingulis agendum per ordinem.

CAPUT III.

De Syllogiſmo.

SYllogiſmus *eſt oratio, quæ tribus conſtat propoſitionibus ita diſpoſitis, ut ex duabus primis tertia neceſſariò inferatur.* Ut *Omne animal eſt ſenſitivum, ſed omnis homo eſt animal, Ergo omnis homo eſt ſenſitivus.*

Duæ primæ propoſitiones vocantur *præmiſſa*, tertia verò dicitur *concluſio*, vel conſequentia. Prima præmiſſarum dicitur *major*, tum quia præcedit alteram; tum quia in omni Syllogiſmo perfecto prima debet eſſe magis univerſalis, vel ſaltem magis, & priùs nota, & æquè univerſalis ſecundâ: nunquam verò minùs univerſalis.

Nam in omni ratiocinatione perfecta ſemper ab univerſalioribus ad minùs univerſalia, vel ſaltem ab æquè univerſalibus, & magis notis ad æquè univerſalia, & minùs

nobis nota procedere debemus. Alioquin erit Syllogiſmus imperfectus, & indirectus; ſi videlicet minor propoſitio ſit univerſalior primâ. Hinc ſecunda præmiſſa dicitur *minor*, tum quia majorem ſubſequitur; tum quia poteſt eſſe minùs univerſalis: nunquam verò magis univerſalis primâ in omni ratiocinatione perfectâ.

Omnis itaque Syllogiſmus tribus conſtat propoſitionibus, quæ ſunt ejus materia proxima, tribuſque tantùm terminis tanquam materiâ remotâ. Componitur ſiquidem Syllogiſmus immediatè ex propoſitionibus, quæ componuntur ex terminis. Primus terminus dicitur *major terminus*, ſeu majus extremum. Quia in omni Syllogiſmo perfecto, & directo ponitur in prima, ſeu majori propoſitione, & eſt ſemper prædicatum concluſionis. Secundus dicitur *minor terminus*, ſeu minus extremum: Quia ponitur in minori, & eſt ſemper ſubjectum concluſionis in Syllogiſmo perfecto. Tertius dicitur medius terminus, ſeu *medium*; quia ſemper in utraque præmiſsâ ponitur tanquam nexus aliorum: numquam verò ponitur in concluſione. Sic in ſequenti Syllogiſmo.

Omne ſenſitivum eſt animal,
Sed omnis homo eſt ſenſitivus,
Ergo omnis homo eſt animal,

Senſitivum, quod in utrâque præmiſsâ ponitur, eſt *medium*; *Animal*, quod in ma-

jori ponitur, & eſt prædicatum concluſionis, eſt *majus extremum:* homo autem, qui ponitur in minori, & eſt ſubjectum concluſionis, eſt *minus extremum.*

Sunt autem in omni Syllogiſmo tres tantùm termini, atque hoc eſt Syllogiſmi proprium; quia in omni demonſtratione ſunt tantùm tria, nempe, *ſubjectum*, de quo prædicatum demonſtratur: *Prædicatum*, quod ſubjecto demonſtratur ineſſe. Ut in Syllogiſmo ſuperiori *homo* eſt ſubjectum; *animal* eſt prædicatum, quod ineſſe demonſtratur homini: ſenſitivum verò eſt *medium*, ſeu ratio, cur homo ſit animal.

Ut iſta clariùs innoteſcant, notandum eſt aliam eſſe propoſitionem per ſe notam, & aliam non per ſe notam. Propoſitio per ſe nota, ut jam dictum eſt initio Logicæ, *eſt ea, quæ ex ſola cognitione terminorum certa, & evidens efficitur*, atque ſtatim apparet utriuſque termini connexio. Ut *Totum eſt majus ſua parte.* Qui enim ſcit quid ſit totum, & quid ſit pars, ſtatim huic propoſitioni aſſentitur neceſſariò. Hujuſmodi propoſitiones vocantur principia per ſe nota.

Propoſitio non per ſe nota *eſt ea, quæ indiget probatione*; quia non apparet evidenter eſſe inter utrumque terminum neceſſariam connexionem. Quapropter tunc alium terminum inquirimus, qui cum duobus

bus aliis neceſſariam, & evidentem habeat connexionem, qui idcirco dicitur *medium*, ſeu medius terminus, per quem fit evidens, quod priùs erat ignotum. Quod ſi medius terminus cum uno tantùm habeat connexionem; tunc erit Syllogiſmus negativus, cujus nimirum concluſio eſt negativa. Utriuſque dabimus exemplum.

Volo demonſtrare. V. g. *quod omnis homo ſit animal*. Erit igitur concluſio mei Syllogiſmi (*ergo omnis homo eſt animal*) *homo*, qui eſt ſubjectum concluſionis, eſt *minus extremum*, quod poni debet in minori propoſitione: *Animal*, quod eſt Prædicatum concluſionis, eſt *majus extremum*, quod poni debet in majori propoſitione.

Hoc ita ſuppoſito. Jam quæro *medium terminum*, qui habeat neceſſariam connexionem cum homine, & cum animali. Ut inde concludam evidenter omnem hominem eſſe animal medius ille terminus in Syllogiſmo affirmativo erit differentia, vel ſpecies prædicabilis, vel proprium prædicati, ſcilicet, *animalis*, quæ cum animali convertuntur, & identificantur. Eligam igitur ex illis terminis, qui mihi clarior, & evidentior eſt; ut concluſio fiat evidens & certa; & quia (ut nunc ſuppono) *ſenſitivum*, quod eſt differentia animalis, eſt mihi notius, & evidentius cæteris: ſumo *ſenſitivum*

pro medio termino, atque ſic formo majorem Syllogiſmi.

Omne ſenſitivum eſt animal,

Deinde attentè conſidero, utrum omnis homo ſit ſenſitivus; & quia re benè perpensâ à ſufficienti partium enumeratione, & ab effectu mihi evidens eſt omnem hominem eſſe ſenſitivum: minorem propoſitionem ſic efformo

Sed omnis homo eſt ſenſitivus,

Quo facto neceſſariò ſequitur concluſio evidens, & certa

Ergo omnis homo eſt animal.

Juxta illud axioma, ſeu principium per ſe notum, ſuper quo fundatur omnis Syllogiſmus affirmativus.

Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.

Idem fit in Syllogiſmo negativo. Nam ſi voluerim probare nullum hominem eſſe leonem, Concluſio erit iſta (*ergo nullus homo eſt leo*) *homo*, qui eſt ſubjectum concluſionis, eſt *minus extremum*, quod poni debet in minori; *Leo* autem, qui eſt prædicatum concluſionis, eſt *majus extremum*, quod poni debet in majori.

His ſuppoſitis. Quæro *medium terminum*, qui ſit idem cum uno, non cum alio, vel ſcilicet differentiam, vel ſpeciem prædicabilem, vel proprium prædicati, nimirum,

Leonis: & quia nunc, ut ſuppono, proprium Leonis eſt mihi evidentius cæteris, ſic efficio Syllogiſmum.

Omnis Leo eſt rugibilis,
Sed nullus homo eſt rugibilis,
Ego nullus homo eſt Leo.

Juxta illud axioma celeberrimum. *Quæ ita ſe habent cum uno tertio, ut unum ſit idem cum illo, aliud verò non, hæc diverſa ſunt inter ſe.*

CAPUT IV.

De Proprietatibus Syllogiſmi.

PRima proprietas Syllogiſmi eſt, quod in omni Syllogiſmo tres tantùm ſint termini. Unde ſi aliquis terminus ſumatur æquivocè nullus erit Syllogiſmus. Ut

Omnis canis eſt Latrabilis.
Sed aliquis piſcis eſt canis,
Ergo aliquis piſcis eſt Latrabilis.

Sunt enim in hoc Syllogiſmo quatuor termini. Quia *canis* ſumitur æquivocè.

Secunda eſt, quod medius terminus in alterutra ſaltem præmiſſarum debet complete diſtribui, id eſt, ſumi debet univerſaliter ſecundùm totam ſuam latitudinem, & pro omnibus ſuis inferioribus. Alioquin non unius termini, ſed duplicis habebit rationem. Unde nullus eſt hic Syllogiſmus.

Omnis Leo eſt animal ,
Sed omnis homo eſt animal ,
Ergo omnis homo eſt Leo.

Quia medium , quod eſt *animal* in nulla præmiſſarum diſtribuitur , ſeu ſumitur univerſaliter pro ſuis omnibus inferioribus; ſed tantùm pro una ſpecie : atque ita ſunt quatuor termini.

Tertia proprietas eſt,quod terminus quicumque non diſtributus in præmiſſis , non debet diſtribui in concluſione. Unde nullus eſt hic Syllogiſmus.

Omne animal eſt vivens ,
Sed omne animal eſt ſubſtantia ,
Ergo omnis ſubſtantia eſt vivens.

Subſtantia enim, quæ in præmiſſis non ſumitur univerſaliter , ſumitur univerſaliter in concluſione. Et ideo ſunt quatuor termini.

Hìc notandum quod in omni propoſitione univerſali negativa tam ſubjectum , quàm prædicatum ſemper diſtribuitur,ſeu ſumitur univerſaliter pro ſuis omnibus inferioribus. Ut *Nullus lapis eſt animal.*

In univerſali affirmativa ſolum ſubjectum diſtribuitur,non prædicatum.Ut *Omnis homo eſt ſubſtantia.*

In particulari negativa prædicatum diſtribuitur, non ſubjectum.Ut *Aliquis homo non eſt lapis.*

In particulari denique affirmativa neu-

trum diſtribuitur. Ut *aliquis homo eſt animal.*

Quarta proprietas Syllogiſmi eſt, quod altera ſaltem præmiſſarum ſit univerſalis. Nam ex puris particularibus nihil ſequitur: quia medium non diſtribuitur. Atque ita ſunt quatuor termini.

Quinta eſt, quod altera ſaltem præmiſſarum ſit affirmativa. Nam ex puris negativis nihil ſequitur, ut per ſe patet. Medius enim terminus debet ſaltem de alterutro extremorum affirmari, quod fieri non poteſt; ſi utraque præmiſſa fuerit negativa; juxta prædicta illa Axiomata, *Quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*; & *Quæ ita ſe habent cum uno tertio, ut unum ſit idem cum illo, aliud verò non, hæc diverſa ſunt inter ſe.*

Sexta denique proprietas eſt, *quod concluſio ſequitur ſemper deteriorem partem*; & quia propoſitio univerſalis eſt præſtantior particulari, & affirmativa præſtantior eſt negativa. Ideo ſi altera præmiſſarum fuerit particularis; concluſio debet eſſe particularis, quia ex particulari non poteſt inferri propoſitio univerſalis, ut manifeſtum eſt. Ita quoque ſi altera præmiſſarum fuerit negativa, concluſio non poteſt eſſe, niſi negativa. Unde ſtultus eſt hic Syllogiſmus

Nullum animal eſt planta ,
Sed omnis homo eſt animal ,
Ergo omnis homo eſt planta.

Ex eò enim, quod omnis homo ſit animal & nullum animal ſit planta, non poteſt inferri quod omnis homo ſit planta. Ut manifeſtum eſt juxta illud axioma, *quando unum de altero prædicatur, quidquid negatur de prædicato, negatur etiam de ſubjecto, & omnibus quæ ſubjecto inferiora ſunt.* Sic quia in prædicto Syllogiſmo *animal* prædicatur de homine, *planta* verò negatur de animali ; debet etiam negari de homine, & de omnibus inferioribus hominis, ſcilicet, individuis.

Hoc principium, ſuper quo fundantur omnes Syllogiſmi negativi nihil eſt aliud quàm proprietas propoſitionis univerſalis negativæ. Dicitur autem, *dictum de nullo* valde tamen obſcurè.

Eſt etiam aliud principium, ſuper quo fundantur omnes Syllogiſmi affirmativi quod dicitur, *dictum de omni* nihilque aliud eſt quàm proprietas propoſitionis univerſalis affirmativæ ; videlicet *quando unum de altero prædicatur, quidquid dicitur de prædicato ; dicitur etiam de ſubjecto, & de omnibus ſubjecto inferioribus.*

CAPUT V.

Syllogiſmi Diviſio.

Dividitur Syllogiſmus in diverſas ſpecies tum ratione materiæ, tum ratione formæ. Forma eſt diſpoſitio materiæ, quæ vel eſt proxima, ut ſunt propoſitiones, vel remota, ut ſunt termini.

Diſpoſitio terminorum dicitur *figura*. Diſpoſitio propoſitionum dicitur *modus*.

Figura Syllogiſmi eſt diſpoſitio medii cum extremis; & quia triplex eſſe poteſt hujuſmodi diſpoſitio, triplex etiam eſt figura.

1ª. Figura eſt in quâ medium eſt ſubjectum majoris, & prædicatum minoris.

2ª. Eſt in quâ medium eſt prædicatum in utrâque præmiſsâ.

3ª. Denique in quâ medium eſt ſubjectum in utraque præmiſsâ. Juxta ſequentem verſiculum.

Sub præ. prima, ſed altera bis præ, tertia bis ſub.

EXEMPLUM

PRIMÆ FIGURÆ.

Omne animal eſt ſenſitivum,
Sed omnis homo eſt animal,
Ergo omnis homo eſt ſenſitivus.

1ª. Proprietas primæ figuræ; eſt, quod

hæc ſola perfectiſſima ſit, tum quod ejus concluſio ſit evidentiſſima; tum quod ad omnia quæſtionum genera maximè ſit idonea. Cùm in eâ tàm affirmativus, quàm negativus, tam univerſalis, quàm particularis, vel ſingularis Syllogiſmus fieri poſſit.

2ª. Proprietas eſt, quod hæc ſola ad ſcientiam idonea ſit, quia in hac tantùm fieri poteſt Syllogiſmus demonſtrativus, per quem ſcilicet aliquid poſitivè demonſtratur.

EXEMPLUM SECUNDÆ FIGURÆ.

In quâ medium bis Prædicatur.

Nullus Lapis eſt rationalis,
Sed omnis homo eſt rationalis,
Ergo nullus homo eſt Lapis.

Proprium hujus figuræ eſt, quod ad refutandum idonea tantùm ſit: cùm ejus concluſio ſit neceſſariò negativa.

EXEMPLUM TERTIÆ FIGURÆ.

In quâ medium bis ſubjicitur.

Omnis homo eſt ſubſtantia,
Sed omnis homo eſt vivens,
Ergo aliquod vivens eſt ſubſtantia.

Proprium hujus figuræ eſt quod ad ſcientiam ſit omnino inutilis, tum quod ejus concluſio non ſit manifeſta, cùm ea ſit indirecta, tum quod ſit neceſſariò particularis, atque ideo ſit ſemper confuſa, indeterminata, & vaga, quamvis conſequentia ſit legitima.

Hîc quæritur utrum ſint tantùm tres figuræ, vel an figura Galeni in quâ medium prædicatur in majori, & ſubjicitur in minori, non ſit cenſenda quarta figura ab aliis differens. Ut in hoc Syllogiſmo.

Omnis homo eſt animal,
Sed omne animal eſt ſenſitivum,
Ergo omnis homo eſt ſenſitivus.

Reſp. figuram Galeni non eſſe ſpecie diſtinctam ab aliis ſed eſſe modum inverſum primæ figuræ duplici ratione 1°. Quia eſt tantùm tranſpoſitio propoſitionum; nam major propoſitio ſeu univerſalior, quæ debet eſſe prima, eſt tantùm ſecunda: ſemper enim ab his quæ magis, & priùs nota ſunt, ad minùs nota procedendum eſt; ſimpliciora verò, & univerſaliora ſunt magis, & priùs nota minùs univerſalibus. 2°. Quia majus extremum non eſt prædicatum concluſionis, in quo differt modus imperfectus à perfecto; ut videbimus ſtatim.

CAPUT VI.

Diviſio Syllogiſmi ratione modi.

MOdus Syllogiſmi eſt propoſitionum ſecundùm quantitatem, & qualitatem apta diſpoſitio ad eruendam concluſionem. Et quia novemdecim modis propoſitiones diſponi poſſunt, ideo novemdecim modi vulgò numerantur. Utrum autem neque plures ſint, neque pauciores novemdecim minutiùs examinare prorſus inutile eſt. ſinguli verò modi ſingulis expreſſi vocabulis comprehenduntur his verſibus.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomoron,
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti,
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Novem priores modi pertinent ad primam figuram, horum quatuor primi vocantur directi; quinque reliqui indirecti. Quatuor ſequentes ad ſecundam, & ſex ultimi ad tertiam.

Modus directus is eſt, *In quo majus extremum eſt prædicatum concluſionis.*

Modus indirectus is eſt, *In quo majus extremum eſt ſubjectum concluſionis.* Tunc enim

ratiocinatio eſt indirecta ; & concluſio non eſt manifeſta, nec ad ſcientiam idonea.

Hîc primò notandum quod ſingula vocabula cujuſlibet verſiculi tribus conſtant ſyllabis, & ſingulæ ſyllabæ ſingulis vocalibus. Nam in *Baralipton*, & *Friſeſomorum* ſolæ tres primæ ſyllabæ aliquid ſignificant: Reliquæ additæ ſunt tantùm metri cauſa.

Secundò quod tres illæ vocales ſignificant tres propoſitiones Syllogiſmi, prima ſcilicet majorem, ſecunda minorem, tertia concluſionem.

Tertiò quod, A. Significat univerſalem affirmativam, E. Univerſalem negativam, I. Particularem, vel ſingularem affirmativam, O. Particularem, vel ſingularem negativam juxta vulgatum carmen.

Aſſerit. A, negat. E, ſed univerſaliter Ambæ.
Aſſerit. I, negat O, ſed particulariter Ambo.

Hîc placet exhibere omnes modos Syllogiſmorum cujuſque figuræ, ut habeat lector exemplaria, quæ imitari poſſit. Priùs tamen advertendum eſt quod Logicæ proprium eſt docere quomodò fieri poſſit Syllogiſmus in quâcumque materiâ, ſive Phyſica illa ſit, ſive metaphyſica, aut alia quæcumque determinata. Ideo utitur terminis abſtractis ab omni materiâ determinatâ, ut poſſint omnibus ſcientiis convenire ; maxi-

me cùm ad ipſam non pertineat rerum ſcientiam, aut demonſtrationem tradere; ſed tantùm modum ſciendi, & Syllogiſmum conficiendi. Exhibebimus tamen ſingulos modos tam in materiâ abſtractâ, quàm in materiâ determinatâ ſibi mutuò reſpondentes; ut ex ipſorum mutuâ comparatione omnia clariùs innoteſcant. In his autem omnes præmiſſæ ſupponuntur veræ, quia hic agitur tantùm de formâ, non de materiâ Syllogiſmi.

MODI PERFECTI PRIMÆ FIGURÆ.

Argumenta Logica in materia abſtracta.	Argumenta in materia determinata.
Bar. *Omne C eſt A.*	*Omne animal eſt ſubſtantia,*
Ba. *Sed omne B eſt C.*	*Sed omnis homo eſt animal,*
Ra. *Ergo omne B eſt A.*	*Ergo omnis homo eſt ſubſtantia.*
Ce. *Nullum C eſt A.*	*Nullum animal eſt lapis,*
La. *Sed omne B eſt C.*	*Sed omnis homo eſt animal,*
Rent. *Ergo nullum B eſt A.*	*Ergo nullus homo eſt lapis.*
De. *Omne C eſt A.*	*Omne quod ſucceſſivè illuminatur eſt Rotundum,*

Ri. *Sed illud. B.eſt.C.*	*Sed terra ſucceſſivè illuminatur,*
i. *Ergo illud. B.eſt.A.*	*Ergo terra eſt Rotunda.*
Fe. *Nullum. C.eſt.A.*	*Nullum rationale eſt lapis,*
Ri. *Aliquod. B.eſt.C.*	*Sed aliquis homo eſt rationalis,*
o. *Ergo. Aliquod. B. non eſt. A.*	*Ergo aliquis homo non eſt lapis.*

MODI IMPERFECTI PRIMÆ FIGURÆ.

Ba. *Omne.C.eſt.A.*	*Omne animal eſt vivens,*
Ra. *Sed omne.B.eſt.C.*	*Sed omnis homo eſt. Animal,*
Lip. *Ergo aliquod.A, eſt.B.*	*Ergo aliquod vivens eſt homo.*
Ce. *Nullum. C.eſt.A.*	*Nullum animal eſt planta,*
Lan. *Sed omne. B. eſt.C.*	*Sed omnis homo eſt animal,*
Tes. *Ergo nullum. A. eſt.B.*	*Ergo nulla planta eſt homo.*
Da. *Omne.C.eſt.A.*	*Omnis homo eſt rationalis,*
Bi. *Sed aliquod. B. eſt. C.*	*Sed aliquod animal eſt homo,*
Tis. *Ergo aliquod. A. eſt.B.*	*Ergo aliquod rationale eſt animal.*

Fa. *Omne. C. eſt. A.*	*Omnis homo eſt animal,*
Pes. *Sed nullum. B. eſt. C.*	*Sed nullum brutum eſt homo,*
Mo. *Ergo aliquod. A. non eſt. B.*	*Ergo aliquod animal non eſt Brutum.*
Fri. *Aliquod. C. eſt. A.*	*Aliquod animal eſt ſubſtantia.*
Se. *Sed nullum. B. eſt. C.*	*Sed nullus lapis eſt animal,*
Som. *Ergo aliquod. A. non eſt. B.*	*Ergo quædam ſubſtantia non eſt lapis.*

Prædictos Syllogiſmos in materiâ abſtractâ propoſuimus, non ſolùm quia hi ſunt veri Syllogiſmi Logici; verùm etiam ut tyrones totum Syllogiſmi artificium facilè percipere poſſint, atque in quâcumque figurâ, & in quocumque modo Syllogiſmum conficere. Cùm paratos ſemper habeant tres terminos, videlicet, *A. B. C.* quorum. *B.* Eſt ſemper minus extremum, *A.* Majus extremum, & *C.* Semper medium in quâcumque figurâ, & modo.

Proprium eſt modi perfecti primæ figuræ, quod ejus concluſio ſit clara, & ſolo lumine naturali manifeſta; ita ut cuivis ſanæ mentis ejus conſequentia ſtatim apareat evidens, atque ideo is ad ſcientiam aptiſſimus eſt.

Proprium eſt modi indirecti primæ figu-

ræ ; quod ejus concluſio ſit obſcura , quia eſt indirecta ; tum quia eſt particularis, aut negativa , & idcirco is ad ſcientiam ineptus eſt : quamvis ejus conſequentia ſit legitima.

Duæ item ſunt regulæ , ſeu proprietates modorum perfectorum primæ figuræ.

Prima eſt quod *ex minore negante nihil ſequitur* , ut non ſequitur (*Omne animal eſt vivens, ſed nulla planta eſt animal, ergo nulla planta eſt vivens.*) Ratio eſt quia proceditur à non diſtributo ad diſtributum ; *vivens* enim , quod eſt majus extremum non diſtribuitur in præmiſſis , cùm ſit prædicatum majoris affirmativæ ; & diſtribuitur in conſequentiâ , cùm ſit in ea prædicatum concluſionis negativæ.

Secunda eſt quod *ex majori particulari nihil concluditur* , quia in tali Syllogiſmo medium non diſtribuitur. Ut non ſequitur. (*Aliquod animal eſt homo , ſed omne brutum eſt animal , ergo aliquod brutum eſt homo*). utraque regula hoc verſu comprehenditur.

Sit minor affirmans, nec major particularis.

CAPUT VII.

Exempla Modorum Secundæ Figuræ.

Ce. *Nullum. A. eſt. C.*	*Nullus lapis eſt rationalis,*
Sa. *Sed omne. B. eſt. C.*	*Sed omnis homo eſt rationalis.*

Re. *Ergo nullum. B. eſt. A.*	*Ergo nullus homo eſt lapis.*
Ca. *Omne.A.eſt.C.*	*Omnis homo eſt animal,*
Mes. *Sed nullum. B. eſt.C.*	*Sed nullus lapis eſt animal,*
Tres. *Ergo nullum.B. eſt.A.*	*Ergo nullus lapis eſt homo.*
Fes. *Nullum.A.eſt.C.*	*Nullus homo eſt brutum,*
Ti. *Aliquod. B.eſt.C.*	*Aliquod animal eſt brutum,*
No. *Ergo aliquod. B. non eſt.A.*	*Ergo aliquod animal non eſt homo.*
Ba. *Omne.A.eſt.C.*	*Omne animal eſt vivens,*
Ro. *Sed aliquod.B.non eſt. C.*	*Quædam ſubſtantia non eſt vivens,*
Co. *Ergo aliquod. B. non eſt.A.*	*Ergo quædam ſubſtantia non eſt animal.*

Duæ ſunt proprietates, ſeu regulæ ſecundæ figuræ.

Prima eſt quod, *ex puris affirmativis nihil ſequitur in ſecundâ figurâ*; Quia medium non diſtribuitur; quando eſt prædicatum. Utriuſque præmiſſæ affirmativæ. *Ut omne brutum eſt animal, ſed omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt brutum.*

Secunda eſt quod, *ex majori particulari nihil ſequitur.* Ratio eſt quia majus extre-

mum non diſtribuitur in præmiſſis, quando eſt ſubjectum majoris particularis, & diſtribuitur in conſequentia; cùm ſit prædicatum conclusionis negativæ. Ut non ſequitur. *Aliquod animal non eſt rationale, ſed omnis homo eſt rationalis, ergo aliquis homo non eſt animal.* Hæ duæ regulæ comprehenduntur hoc verſiculo.

Una negans præeat nec major ſit ſpecialis.

CAPUT VIII.

Exempla Modorum Tertiæ Figuræ.

Da. *Omne. C. eſt. A.*	*Omne animal eſt vivens,*
Rap. *Sed omne. C. eſt. B.*	*Sed omne animal eſt ſubſtantia,*
Ti. *Ergo aliquod. B. eſt. A.*	*Ergo aliqua ſubſtantia eſt vivens.*
Fe. *Nullum. C. eſt. A.*	*Nullum animal eſt lapis,*
Lap. *Omne. C. eſt. B.*	*Sed omne animal eſt ſubſtantia,*
Ton. *Ergo aliquod. B. non eſt. A.*	*Ergo quædam ſubſtantia non eſt lapis.*
Dis. *Aliquod. C. eſt. A.*	*Aliquod animal eſt homo,*
A. *Sed omne. C. eſt. B.*	*Sed omne animal eſt ſubſtantia,*
Mis. *Ergo aliquod. B. eſt. A.*	*Ergo aliqua ſubſtantia eſt homo,*

Da. *Omne.C.eſt.A.*	*Omnis homo eſt animal,*
Ti. *Sed Aliquod. C. eſt.B.*	*Sed aliquis homo eſt ſubſtantia,*
Si. *Ergo aliquod. B. eſt.A.*	*Ergo aliqua ſubſtantia eſt animal.*
Bo. *Aliquod. C. non eſt.A.*	*Aliquod corpus non eſt animal,*
Car. *Sed omne. C.eſt. B.*	*Sed omne corpus eſt ſubſtantia,*
Do. *Ergo aliquod. B. non eſt A.*	*Ergo aliqua ſubſtantia non eſt animal.*
Fe. *Nullum. C.eſt.A.*	*Nullum animal eſt lapis,*
Ri. *Sed aliquod. C. eſt.B.*	*Sed aliquod animal eſt corpus,*
Son. *Ergo aliquod. B. non eſt.A.*	*Ergo aliquod corpus non eſt lapis.*

Duæ ſunt quoque proprietates ſeu regulæ ſpeciales tertiæ figuræ.

Prima eſt quod, *ex minore negativa nihil ſequitur*, quia majus extremum non diſtribuitur in præmiſſis; cùm ſit prædicatum majoris affirmativæ; & diſtribuitur in conſequentiâ; cùm ſit prædicatum concluſionis negativæ. Ut non ſequitur (*Omnis homo eſt animal, ſed nullus homo eſt brutum, ergo aliquod brutum non eſt animal.*)

Secunda eſt quod concluſio ſemper ſit particularis, quia in hoc Syllogiſmo mi-

nus extremum non diſtribuitur in præmiſſis; cùm ſit prædicatum minoris affirmativæ; & diſtribueretur in concluſione, ſi ea eſſet univerſalis; eſſet enim ſubjectum propoſitionis univerſalis. Ut non ſequitur, *Omnis homo eſt rationalis, ſed omnis homo eſt animal, ergo omne animal eſt rationale.* Utraque regula ſequenti verſu comprehenditur.

Sit minor affirmans, concluſio particularis.

Hîc notandum quod quotieſcumque Syllogiſmus eſt in formâ, ſive in primâ, ſive in ſecundâ, vel tertiâ figurâ; numquam neganda eſt conſequentia; cùm omnes modi cujuſcumque figuræ legitimè concludant. Si verò non fuerit in formâ, id eſt, ſi peccaverit contra regulas, ſeu proprietates Syllogiſmi in genere; vel contra regulas ſpeciales figuræ, in quâ factus eſt: Tunc neganda eſt conſequentia conceſſis præmiſſis; ſed ſtatim afferenda ratio, quia videlicet ſunt quatuor termini, vel quia aliquis terminus non diſtributus in præmiſſis diſtribuitur in conſequentiâ.

Quod autem omnes prædicti modi, ſive indirecti primæ figuræ, ſive imperfecti ſecundæ, & tertiæ legitimè concludant, demonſtrari poteſt per reductionem cujuſlibet modi, ſive indirecti, ſive imperfecti ad aliquem ex quatuor modis perfectis primæ figuræ. Nam cùm manifeſtum ſit quatuor modos perfectos primæ figuræ legitimè con-

cludere; ſi modi imperfecti poſſint per legitimam converſionem reduci ad aliquem modum perfectum primæ figuræ: manifeſtum quoque erit modos imperfectos legitimè concludere; atqui nullus eſt modus imperfectus, qui reduci non poſſit ad aliquem modum perfectum primæ figuræ, ut quilibet experiri poterit, aut ſaltem qui demonſtrari non poſſit per *expoſitionem*, aut per *impoſſibile*; ergo omnis modus imperfectus legitimè concludit. Triplex eſt igitur demonſtratio quod omnes modi imperfecti legitimè concludant.

Prima eſt per *reductionem*, ſecunda per *expoſitionem*, tertia per *impoſſibile*. Quomodò autem id fieri poſſit breviter explicabimus in aliquibus modis; nam omnes, & ſingulos reducere videtur inutile; maximè cùm quilibet, ut jam dictum eſt, id experiri poſſit, quoties voluerit.

CAPUT IX.

De Reductione Syllogiſmorum.

PErfectus itaque Syllogiſmus eſt, cujus conſequentia ita clara eſt, ut ſtatim cuivis ſanæ mentis apareat evidens, & neceſſaria; cujuſmodi ſunt quatuor primi primæ figuræ.

Imperfectus Syllogiſmus eſt, cujus conſequentia non ſtatim apparet evidens, &

neceſſaria præſertim tyronibus ; quapropter ea indiget probatione, quæ fit per reductionem ad Syllogiſmum perfectum:quales ſunt tum indirecti primæ figuræ, tum imperfecti ſecundæ, & tertiæ.

Reductio oſtenſiva fit cùm in Syllogiſmo perfecto, ad quem reducitur imperfectus,per idem medium eadem infertur concluſio, vel ſaltem ejus converſa.

Totum reductionis artificium indicatur illis vocibus, quibus ſinguli modi ſuprà ſunt expreſſi, in quibus hæc notanda.

Primò ſunt quatuor litteræ initiales modorum perfectorum primæ figuræ ſcilicet. B. C. D. F. Ab unâ iſtarum incipiunt reliqui modi omnes.

Secundò prima littera cujuſque modi imperfecti ſignificat illum modum reducendum ad perfectum ab eadem litterâ incipientem. Ut omnes qui incipiunt à B. Reducendi ſunt ad *Barbara*, qui à C. Ad *Celarent*, qui à D. Ad *Darii*, qui ab. F. Ad *Ferio*.

Tertio duæ conſonantes. S. & P. Deſignant propoſitionem ſignificatam per vocalem proximè præcedentem convertendam eſſe, ſcilicet, S. Simpliciter, P. Autem per accidens. Littera. M. Ubicumque fuerit reperta, ſignificat mutandas eſſe, ſeu tranſponendas præmiſſas, ut in ſapeſmo, & friſeſomorum. Littera vero. C. In medio po-

ſita denotat modum non poſſe reduci oſten-ſivè, ſed tantùm per impoſſibile; ut duo modi *Baroco*, & *Bocardo*, qui ſoli excipiuntur, ut hi duo verſus indicant.

S. vult ſimpliciter verti, P. verò per accid.
M. vult tranſponi, C. per impoſſibile duci.

His ſuppoſitis dato aliquo Syllogiſmo, ſive in modis indirectis primæ figuræ, ſive in aliis aliarum figurarum, facilis erit ejus converſio in aliquem modum perfectum primæ figuræ. Detur itaque Syllogiſmus in Baralipton.

Ba. *Omne. C. eſt A.*	*Omne animal eſt vivens,*
Ra. *Sed omne. B. eſt. C.*	*Sed omnis homo eſt animal,*
Lip. *Ergo aliquod. A. eſt. B.*	*Ergo aliquod vivens eſt homo.*

Tunc hoc modo procedam modus iſte incipit à conſonante. B. Ergo reducendus eſt ad *Barbara*, in majori, & minori nulla eſt ex quatuor iſtis conſonantibus S.P.M. C. ergo non ſunt convertendæ præmiſſæ, ſed in ſuo ſtatu relinquendæ, in concluſione autem cernitur littera. P. ergo per accidens convertenda eſt concluſio hoc modo *Aliquod vivens eſt* homo, *Omnis homo eſt*

vivens ; vel aliquod A. eſt B omne B.eſt A. quæ concluſio addita duabus præmiſſis hunc reddet in *Barbara* Syllogiſmum.

Bar.	*Omne C. eſt. A.*	*Omne animal eſt vivens*,
Ba.	*Sed omne. B. eſt. C.*	*Sed omnis homo eſt animal*,
Ra.	*Ergo omne. B. eſt. A.*	*Ergo omnis homo eſt vivens.*

Sic ſapeſmo ad ferio reducitur Major, quia. P. ſequitur, convertenda per accidens ; minor verò, quia ſequitur. S. Convertenda ſimpliciter : & quia ſequitur M. minor loco majoris tranſponenda eſt,& major loco minoris.Ut patet exemplo ſequenti.

Fa.	*Omne. C. eſt. A.*	*Omnis homo eſt animal*,
Pes.	*Sed nullum. B. eſt. C.*	*Sed nullum Brutum eſt homo*,
Mo.	*Ergo aliquod. A. non eſt. B.*	*Ergo aliquod animal non eſt Brutum.*

CONVERSIO.

Fe.	*Nullum. C. eſt. B.*	*Nullus homo eſt Brutum*,
Ri.	*Sed aliquod. A. eſt. C.*	*Sed aliquod animal eſt homo*,
O.	*Ergo aliquod. A. non eſt. B.*	*Ergo aliquod animal non eſt Brutum.*

Idem autem obſervari debet in cæteris præter *Baroco*, & *Bocardo*, qui ſolùm demonſtrari poſſunt per *Reductionem ad impoſſibile*, ſed hæc ſufficiant de reductione oſtenſivâ; reliqua enim tyronum exercitio relinquenda ſunt.

CAPUT X.

De Reductione per Expoſitionem.

Reductio per *Expoſitionem* fit cùm medio ſingulari ſubſtituto in locum medii univerſalis infertur eadem concluſio. Hoc modo reducendos eſſe Syllogiſmos tertiæ figuræ manifeſtum eſt, ut docet Ariſtoteles; ſit v. g. hic Syllogiſmus reducendus per *Expoſitionem.*

Omnis homo eſt rationalis,
Sed omnis homo eſt animal,
Ergo aliquod animal eſt rationale.

Si quis conceſſis præmiſſis negaverit conſequentiam, ſumam unum ſingulare contentum ſub homine, illudque ejus loco ſubſtituam, hoc modo (*Joannes eſt rationalis*) *Joannes eſt animal*, *ergo aliquod animal eſt rationale.* Hic Syllogiſmus vocatur Expoſitorius, quia eſt adeò clarus, ut videatur rem oculis ſubjicere; & quamvis ad ſcientiam ineptus ſit, cùm ejus concluſio ſit indeterminata, & vaga: eſt tamen aptiſſimus

ſimus ad probandum Syllogiſmum legitimè concludere; atque ut ipsâ quaſi evidentiâ ſenſuum confundatur rebellis, & pervicax intellectus, qui conceſſis præmiſſis conſequentiam negaverit. Fit autem aptiſſimè in tertiâ figurâ, quia in eâ medium bis ſubjicitur; ſingulare autem medium, quo conſtat Syllogiſmus expoſitorius, neceſſariò bis ſubjici debet.

CAPUT XI.

De Reductione per Impoſſibile

REductio per impoſſibile fit, cùm ex contradictoriâ concluſionis, & unâ præmiſſarum infertur contraria alterius præmiſſæ jam conceſſæ. Hoc autem fit ad convincendum eum, qui conceſſis præmiſſis negat conſequentiam aſſumptâ enim negatæ concluſionis contradictoriâ, quam negare non poteſt (Alioquin admitteret duas condictorias eſſe ſimul falſas) Et alterâ præmiſſarum, quam conceſſit; cogitur admittere contrariam alterius præmiſſæ, quam etiam conceſſit. Rem ſequenti exemplo declarabimus. Sit igitur propoſitus Syllogiſmus in *Baralipton.*

Ba. *Omne animal eſt ſubſtantia,*

Ra. *Sed omnis homo eſt animal,*

Lip. *Ergo aliqua ſubſtantia eſt homo.*

Si quis itaque conceſſis præmiſſis negaverit

conſequentiam, contra eum ſic argumentabor. Negas quod *Aliqua ſubſtantia ſit homo*, ergo neceſſariò admittis ejus contradictoriam, videlicet, *Nulla ſubſtantia eſt homo*; hæc erit ergo major futuri Syllogiſmi, & Major jam conceſſa (*Omne animal eſt ſubſtantia*) erit minor, & ſic fiet Syllogiſmus (*Nulla ſubſtantia eſt homo, ſed omne animal eſt ſubſtantia, Ergo nullum animal eſt homo*) Quæ concluſio eſt contraria minoris jam conconceſſæ prioris Syllogiſmi. Sed de reductione Syllogiſmorum jam ſatis, cætera, quæ parùm utilia ſunt libenter prætermittimus. Cæterùm memineris opportet ſemper in primâ figurâ, quantùm fieri poteſt, Syllogiſmum eſſe conſtruendum, aut ſaltem in ſecundâ, ſi fuerit negativus.

PARS TERTIA LOGICÆ.

TRACTATUS SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Syllogiſmi Diviſio ratione materiæ.

JAM diviſimus Syllogiſmum in ſuas ſpecies ratione formæ, & cujuſlibet ſpeciei proprietates demonſtravimus. Supereſt igitur ut illum dividamus etiam ratione materiæ, & quid ſit Syllogiſmus demonſtrativus, & quæ ſint ejus proprietates, & quæ ſint ejus ſpecies, & cujuſlibet ſpeciei proprietates breviter demonſtremus; atque ſimiliter de oppoſitis Syllogiſmi demonſtrativi Dialectico, ſcilicet, & Sophiſtico faciamus.

Dividitur itaque Syllogiſmus ratione materiæ in ſimplicem, & compoſitum.

Simplex eſt, *Qui propoſitionibus ſimplicibus conſtat.*

Compoſitus eſt, *Qui propoſitionibus compoſitis componitur.* Tot verò ſunt ſpecies Syllogiſmi compoſiti, quot ſunt ſpecies propoſitionis compoſitæ, de quibus tamen nihil dicemus; cùm nullam habeant difficultatem

ſpecialem, niſi ratione propoſitionum, quibus conſtant. Vide igitur quæ de ſingulis propoſitionibus compoſitis diximus, quæ videlicet ſint earum proprietates; quandò veræ ſint, aut falſæ, quandò concedendæ vel negandæ. Diſplicet enim repetere inutiliter ea, quorum repetitione obruitur potiùs, quàm illuminatur intellectus.

Alia eſt igitur diviſio Syllogiſmi ratione materiæ in Demonſtrativum, Dialecticum, & Sophiſticum.

Syllogiſmus demonſtrativus, ſeu Logicus, qui dicitur demonſtratio, *eſt Syllogiſmus, cujus præmiſſæ pariunt ſcientiam, vel cujus concluſio eſt ſcientia.*

Prima proprietas hujus Syllogiſmi eſt, quod ejus præmiſſæ ſint certæ, & evidentes, & magis, & priùs notæ, quàm ipſa concluſio. Nam cùm earum cognitio certa, & evidens ſit cauſa cognitionis certæ, & evidentis concluſionis, magis, & priùs notæ eſſe debent ipsâ concluſione; etenim *propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Debent, inquam, eſſe magis, & priùs notæ; non magis certæ, & evidentes. Quod enim verè certum, & evidens eſt, non poteſt eſſe magis, aut minùs certum, & evidens; ſed poteſt eſſe magis, & prius notum.

Secunda proprietas eſt, quod omnes ejus propoſitiones debent eſſe veræ, ſimplices, determinatæ, neceſſariæ, ſingulares, vel

univerſales, numquam verò particulares: quia, ut ſæpè jam diximus, omnis propoſitio particularis eſt indeterminata, & vaga, & ideo confuſa, atque ad ſcientiam inutilis. Ad hunc igitur Syllogiſmum pertinent omnes termini, de quibus in prædicabilibus, & prædicamentis egimus; illi enim tantùm ſunt ſimplices, determinati, neceſſarii, ſingulares, vel univerſales, atque ex his dumtaxat fieri poteſt propoſitio ad demonſtrationem idonea.

CAPUT II.

Syllogiſmi Demonſtrativi Diviſio.

DIviditur Syllogiſmus demonſtrativus, ſeu demonſtratio in demonſtrationem à priori, ſeu à causâ, quæ dicitur demonſtratio *propter quid*; & in demonſtrationem à poſteriori, ſeu ab effectu, quæ vulgò dicitur demonſtratio *quia*.

Demonſtratio à priori, ſeu *propter quid* eſt ea, per quam demonſtratur effectus per propriam cauſam immediatam; & quoniam cauſa eſt prior effectu ſaltem naturâ, ideò dicitur demonſtratio à priori. Ut ſi demonſtretur hominem eſſe ſcientiarum capacem, quia rationalis eſt. Hoc modo.

Omne animal rationale eſt ſcientiarum capax,
Sed omnis homo eſt animal rationale,

Ergo omnis homo eſt ſcientiarum capax.

Demonſtratio *quia*, eſt ea, per quam demonſtratur cauſa per effectum proprium, & immediatum; & quia omnis effectus eſt poſterior ſuâ causâ ſaltem naturâ, ideò dicitur demonſtratio à poſteriori. Ut ſi demonſtretur omnem hominem eſſe rationalem, quia omnis homo ratiocinatur aliquando. Hoc modo.

Omne quod aliquando ratiocinatur, eſt rationalis,
Sed omnis homo aliquando ratiocinatur,
Ergo omnis homo eſt rationalis.

Neque enim vel ſemel ratiocinari poteſt benè, vel malè, niſi ſit principium ratiocinationis. Hæ autem demonſtrationes ſunt æqualiter certæ; & evidentes, nullaque eſt nobilior, aut præſtantior alterâ, quidquid alii cenſeant.

Cùm enim effectus non poſſit demonſtrari; niſi per cauſam propriam, & neceſſariam; neque cauſa demonſtrari niſi per effectum proprium, & immediatum; modò cauſa demonſtretur per effectum immediatum, & magis notum, & effectus probetur per propriam cauſam neceſſariam priùs demonſtratam; omnes hujuſmodi demonſtrationes ſunt æqualiter veræ, & legitimæ, ut manifeſtum eſt.

Hîc autem advertendum eſt quod alius debet eſſe effectus, qui demonſtratur per cau-

ſam, & alius per quem demonſtratur cauſa: aliàs eſſet circulus vitioſus. Si nempè demonſtraretur hominem eſſe rationalem, quia riſibilis eſt; deindè demonſtraretur eſſe riſibilem, quia rationalis eſt. Tunc enim nulla eſſet demonſtratio, cùm unum probaretur per aliud æquè obſcurum; nec magis notum altero. Sed priùs probanda eſt cauſa, videlicet, quod ſit rationalis per effectum magis notum ipsâ causâ; ut probavimus hominem eſſe rationalem, quia ratiocinatur aliquando; hic enim effectus eſt magis notus ipsâ causâ. Deinde probari poterit, & non priùs, quod ſit riſibilis: quia eſt rationalis.

Sic per exiſtentiam effectûs demonſtratur exiſtentia cauſæ, & per cauſæ neceſſariæ exiſtentiam jam demonſtratam demonſtratur exiſtentia alterius effectûs. Quia verò cauſa, & effectus ſunt correlativa; nec unius natura perfectè cognoſci poteſt, niſi etiam clarè cognoſcatur alterius natura: Ideo ſuppoſitâ exiſtentiâ cauſæ jam demonſtratâ per exiſtentiam effectûs; mutuâ comparatione effectûs ad cauſam, & cauſæ ad effectum utriuſque natura clariùs innoteſcit. Atque ſic à causâ ad effectum regredi poſſumus, nec erit circulus vitioſus; modò ſemper, ut jam dictum eſt, ab eo quod eſt magis notum in effectu procedamus ad id, quod eſt minùs notum in causâ, & viciſſim.

. Sic ab Eclipſi Lunæ telluris interpoſi tionem demonſtramus , exiſtentiam ſcili cet cauſæ ab effectûs exiſtentiâ, quæ eſt ma gis nota ; & causâ ſemel compertâ , ab ip ſius cauſæ naturâ , quæ eſt interpoſitio ter ræ, demonſtramus alia, quæ ad naturam ef fectûs pertinent ; ut durationem, magnitu dinem, tempus, quo futura eſt, & alia be nè multa. Deinde à naturâ effectûs,ſeu Ecli pſis demonſtramus terram eſſe majorem Lu nâ , & Sole multò minorem ; ſed , ut ma nifeſtum eſt , aliud eſt ſemper quod per na turam cauſæ demonſtratur in effectu , & aliud eſt , quod per naturam effectûs de monſtratur in causâ.

Proprium itaque demonſtrationis eſt,quod debeat fieri per cauſam neceſſariam , & immediatam,vel per effectum immediatum & proximum ; ad hoc ut ſit certa , & evi dens ; alioquin non erit demonſtratio. Ut ſi probarem hominem eſſe ſubſtantiam , quia ſentit ; hic enim non eſt effectus immedia tus ſubſtantiæ , ſed animalis ; vel eſſe ra tionalem , quia ſcribit ; non enim ſcriptio ſed ratiocinatio actualis eſt effectus imme diatus rationalitatis. Quamvis enim hujuſ modi probationes ſint neceſſariæ ; non ſun tamen demonſtrationes legitimæ : quia pe ſe non ſunt evidentes.

CAPUT III.

De Præcognitis Ad Demonſtrationem.

PRæcognita ad demonſtrationem ſunt ea, quæ priùs noſſe, antequàm fiat demonſtratio, neceſſe eſt.

Duplex eſt autem præcognitum de quolibet ſubjecto demonſtrationis, unum de prædicato, & unum de medio demonſtrationis.

Primum igitur, quod noſſe oportet de ſubjecto propoſitionis demonſtrandæ, eſt nominis definitio. Ut, ſi mihi demonſtrandum ſit *hominem eſſe animal*, priùs quid per li *homo*, intelligatur, ſcire neceſſe eſt. Id autem innoteſcit per nominis definitionem.

Secundum præcognitum de ſubjecto eſt an ſit, ſeu, an neceſſariò exiſtat. Quòd enim non exiſtit nihil eſt, neque de ipſo affirmari quidquam poteſt. Nam ſi homo non exiſtit, non poteſt verè dici de illo quod ſit animal, neque quidquam aliud: & ſi neceſſariò non exiſtat, non eſt objectum ſcientiæ. Quia de contingenti non datur cognitio certa.

Omne itaque ſubjectum, cui ineſſe aliquid demonſtratur, debet neceſſariò exiſtere in ſpecie ſaltem, vel individuo. Neque enim quæritur ſcientia eorum, quæ non ſunt; ſed eorum, quæ in mundo exiſtunt.

I

Unde is fruſtra torqueretur, qui quæreret rationem, cur magnes attrahat ferrum; niſi priùs certus eſſet magnetem attrahere ferrum.

Verum quidem eſt quod, ſi fiat demonſtratio de re poſſibili, vel neceſſariò futurâ: tunc non requiritur ut ſubjectum exiſtat: ſed demonſtrari poteſt aliquid eſſe poſſibile, vel non, præſuppoſitâ nominis, tum rei definitione. Similiter demonſtrari poteſt aliquid eſſe futurum, quod neceſſariò futurum eſt. Ut Aſtrorum motus, & conjunctiones, ac luminarium Eclipſes: antequàm exiſtant. Quia tunc agitur tantùm de illorum exiſtentiâ neceſſariò futurâ, vel poſſibili. Secùs autem dicendum, cùm agitur de eorum naturâ, & proprietatibus. Tunc enim ſupponitur præcognita illorum exiſtentia neceſſaria in ſpecie, vel individuo. Unde, cùm dicitur hyberno tempore, ubi roſa non exiſtit, *Omnis roſa eſt flos*, ſemper ſubintelligitur omnis roſa exiſtens, in quâcumque temporis differentiâ exiſtat. Alioquin, ſi excluderetur exiſtentia, vel non ſubintelligeretur, illa propoſitio eſſet ſimpliciter falſa.

Eſt autem vera illa propoſitio; quia licet roſa non exiſtat in ſingulari tali loco, hyberno tempore; exiſtit tamen neceſſariò in ſpecie: quatenùs neceſſe eſt exiſtere roſas in rerum naturâ, non tamen has, vel illas, aut tali loco, vel tali tempore; ſed univerſali-

ter,& indeterminatè ſine reſpectu ad locum, vel tempus determinatum.

De prædicato propoſitionis demonſtrandæ neceſſarium eſt priùs noſſe quid ſit per veram rei definitionem. Ut, ſi voluerim demonſtrare quod *homo eſt animal*; priùs ſcire neceſſe eſt, quod *animal* eſt *principium ſenſationis*, ſive illud, quod poteſt ſentire. Alioquin nulla poteſt fieri demonſtratio.

De medio autem demonſtrationis priùs ſcire neceſſe eſt quale ſit,ſeu, per quod medium aliquid de aliquo demonſtrari poſſit. Quod ſequenti capite demonſtrabimus.

CAPUT IV.

De Medio Demonſtrationis.

MUltis quidem facilè eſt quæſtionem movere: ſed medium rei probandæ invenire difficillimum eſt. Quapropter & Rhetores,& Dialectici multos communes locos excogitarunt, ex quibus cujuſque rei probandæ media probabilia depromerent,de quibus tamen nihil dicemus. Neque enim Rhetoricam, aut Dialecticam, ſeu, modum de re qualibet probabiliter differendi, aut in utramque partem diſputandi, ſed Logicam ipſam tradere in animo eſt: atque quo medio de re qualibet ſcibili certa,& evidens concluſio erui poſſit. Quod à multis jure

meritò deſideratur : & quod nemo hactenùs feciſſe comperitur.

Cùm igitur omnis concluſio ſit affirmativa, vel negativa, quomodò utraque probanda ; & quibus mediis certò, & evidenter eruenda ſit paucis demonſtrabimus. Jam probavimus eſſe tantùm quatuor ſcibilia de re quâlibet, nempè genus, differentiam, ſpeciem prædicabilem, & proprium.

Genus, & differentia non poſſunt demonſtrari à priori, ſeu per cauſam, ſed tantùm à poſteriori, ſeu per effectum, quia nullam habent cauſam neceſſariam. Medium itaque, quo demonſtrari poteſt v. g. *hominem eſſe animal, & eſſe rationalem*, eſt ab effectu hoc modo. Certum eſt mihi, & evidens me aliquandò ſentire, & aliquandò ratiocinari, atqui neceſſe eſt omne quod ſentit, eſſe principium ſenſationis, ſeu animal, neceſſe eſt pariter omne quod ratiocinatur eſſe principium ratiocinationis, ſeu rationale : nam quamvis ſenſatio, & ratiocinatio actuales ſint aliquid contingens, neque ſit objectum ſcientiæ quod homo actualiter ſentiat, aut ratiocinetur, ſed objectum ſenſûs, ſeu cognitionis, quæ immediatè per ſenſus hauritur ſine diſcurſu. Quia tamen neceſſe eſt omnem effectum habere cauſam, atque omnem actum ab aliquo principio procedere, hinc certò, & evidenter concludo ex eo, quod aliquandò ſentiam, & ra-

tiociner : quod ſum principium ſenſationis, & ratiocinationis, ſeu quod poſſum ſentire, & ratiocinari.

Sed quia neſcio utrum ſit contingens, vel neceſſarium me eſſe animal, & rationalem; medium, quo, id demonſtrari poteſt, eſt inductio quia nempè innumerabiles vidi homines, nec ullum unquam reperi, qui aliquandò non ſentiret; & aliquandò non ratiocinaretur benè ſaltem, aut malè; nam qui malè ratiocinatur, tamen ratiocinatur; nec ullus umquam repertus eſt, qui contrarium ſe reperiſſe affirmet: ita ut nullus remaneat dubitandi locus. Hinc concludo evidenter omnem hominem eſſe neceſſariò animal, & eſſe neceſſariò rationalem. *Multæ enim experientiæ*, ut ait Ariſtoteles, *faciunt unam ſcientiam.*

Ita ſi voluero demonſtrare omnem hominem eſſe viventem, medium erit (*Omne, quod actus vitales exercere poteſt, eſt vivens*; ſed omnis homo actus vitales exercere poteſt: Ergo omnis homo eſt vivens) medium, quo demonſtrabitur minor, erit inductio, ut ſupra, quia ſcilicet nullus unquam viſus eſt homo, qui actus vitales non exerceret. Genus ergo, & differentia tam immediata, quàm mediata à poſteriori tantùm, ſeu ab effectu demonſtrari poſſunt per inductionem.

Si autem voluero probare hanc propoſi-

tionem (*Homo eſt animal rationale*) eſſe veram hominis definitionem, medium erit definitio definitionis, quæ eſt *Oratio explicans naturam rei* per genus immediatum, & differentiam immediatam. Demonſtrabo igitur ſic, Definitio Definitionis huic propoſitioni convenit, ergo eſt vera hominis definitio. Probatur antecedens, quia *animal* eſt genus immediatum hominis, & *rationale* differentia immediata; nam genus immediatum *eſt illud, per quod aliquid convenit, & ſimile eſt omnibus ſpecie tantùm differentibus*; ſed *animal* eſt illud, per quod homo ſimilis eſt omnibus tantùm ſpecie differentibus; ut Equo, Leoni, Bovi, & cæteris: Ergo *animal* eſt genus immediatum hominis. Probabo quoque *rationale* eſſe differentiam hominis per definitionem differentiæ immediatæ eodem modo, differentia immediata eſt *illud, per quod aliquid primùm differt ab omnibus ſpecie tantùm differentibus*; ſed *rationale* eſt illud per quod homo primùm differt ab omnibus ſpecie tantùm differentibus: ergo *rationale* eſt differentia immediata hominis; ac proindè hæc propoſitio (*Homo eſt animal rationale*) eſt vera hominis definitio.

Demonſtrari etiam poteſt definitio, ſeu rei eſſentia ab effectu, hoc modo. Illud eſt vera rei eſſentia, ex quâ neceſſariò fluunt omnes ejuſdem rei proprietates; ſed ex eâ

quod homo ſit *animal rationale* fluunt omnes hominis proprietates, ut patet, ideò enim eſt riſibilis, admirativus, diſciplinæ, & ſcientiarum capax, & beatitudinis, quia eſt *animal rationale*; ergo *animal rationale*, eſt vera hominis eſſentia, ſeu definitio.

Definitio autem, ſeu rei eſſentia jam demonſtrata eſt medium, quo demonſtrantur omnes ejuſdem rei proprietates. Sicut enim ex ipsâ rei eſſentiâ, ut jam dictum eſt, neceſſariò fluunt omnes ejuſdem rei proprietates, ſic ex definitione, ſeu evidenti cognitione eſſentiæ rei cujuſlibet fluunt quaſi ſuâ ſponte cognitiones certæ, & evidentes omnium proprietatum; ſic demonſtrabo omnem hominem eſſe admirativum per definitionem hominis, *Omne animal rationale eſt admirativum*; quia nempe admiratio eſt quædam ratiocinatio; *Atqui omnis homo eſt animal rationale*; *Ergo omnis homo eſt admirativus*. Et ſic de cæteris ejus proprietatibus. Hæc autem demonſtratio eſt à priori, ſeu per cauſam, ut manifeſtum eſt.

Ex his patet genus, & differentiam, atque rei eſſentiam non poſſe demonſtrari, niſi à poſteriori; proprietates autem à priori, & à poſteriori probari poſſunt ſed ſub diverſo reſpectu; Poſſum enim probare quod *Omnis homo ſit admirativus* ex eo, quod *Omnis homo aliquando admiretur*, ab effectu nimirùm, & per inductionem ſufficientem, atque ita

de cæteris. Sic autem demonſtrantur quidem proprietates, non tamen, ut proprietates ſunt, v. g. demonſtratur ab effectu quod *Omnis homo ſit admirativus*, ſed non demonſtratur quod *Admirativus* ſit proprietas hominis, niſi à priori per definitionem ſcilicet, & claram eſſentiæ cognitionem, neque neceſſe eſt ut proprietates demonſtrentur ab effectu, cùm ex ipsâ clarâ cognitione eſſentiæ ſtatim vel modicùm attendenti manifeſtentur.

Hîc advertendum quod illa omnia Axiomata, quæ dicuntur per ſe nota, ut (*Totum eſt majus ſua parte*, & *Contradictoria non poſſunt ſimul eſſe vera*, & cætera hujuſmodi nihil aliud ſunt, quàm proprietates aliquarum rerum. Sic quia totum definitur illud, quod partibus conſtat; hinc evidenter ſequitur quod *Totum eſt majus ſua parte*. Et quia *Contradictoria ſunt ea, quorum unum negat quod aliud affirmat*; hinc etiam evidenter ſequitur quod ſimul vera eſſe non poſſint.

CAPUT V.

Præcedentis Capitis Appendix.

QUædam adhuc ſuperſunt propoſitiones demonſtrabiles, quæ quibus demonſtrari poſſint mediis explicandum eſt.

1ª. Eſt quæ affirmat aliquid exiſtere, vel non.

2ª. Quæ affirmat unum eſſe aliud, vel non eſſe.

3ª. Quæ aliquid eſſe poſſibile affirmat, vel impoſſibile.

4ª. Quæ aliquid neceſſariò futurum affirmat.

5ª. Quæ duo ſimul ineſſe eidem ſubjecto negat.

1º. Igitur nullius rei, quæ ſenſibus clarè percipi poteſt, exiſtentia poteſt demonſtrari, neque hoc eſt objectum ſcientiæ; ſed potiùs principium ſcientiæ per ſe notum evidentiâ ſenſuum. Quæ verò ſenſibus clarè percipi non poſſunt, ab effectu demonſtrari poteſt eorum exiſtentia per diſcurſum; atque ideo horum exiſtentia eſt objectum ſcientiæ, dummodò neceſſariò exiſtant. Sic demonſtratur Deum exiſtere ab exiſtentia creaturarum, quæ eſt per ſe nota evidentiâ ſenſuum. Quæ verò tantùm propter aliud ſunt, vel exiſtunt, demonſtrari poſſunt à fine; ſic demonſtrari poteſt eſſe unum totius mundi centrum, quia neceſſarium eſt eſſe unum commune totius mundi centrum; ad quod naturaliter tendant omnia corpora: ad hoc ut mundus proprio pondere ſubſiſtat; qui aliàs in mille partes diſſiparetur, vel ſaltem totus confunderetur.

2º. Quod autem aliquid non exiſtat demonſtrari poteſt à contrario, quia ſcilicet nullum habet effectum, ac proinde fruſtra

eſt; cùm omnia fiant æqualiter, etiamſi non exiſtere ſupponatur. Nihil enim exiſtit quod aliquem effectum non habeat; cùm *eſſe ſit propter operari, & operari ſequatur eſſe*. Hinc optimè dicitur nullum habet effectum, ergo non exiſtit. Fruſtra eſt: Ergo non exiſtit.

3°. Demonſtrari poteſt unum eſſe aliud, medium autem demonſtrationis eſt differentia, vel definitio, vel proprium prædicati jàm demonſtratum. Ut *Omne animal rationale eſt homo, ſed omne. B. eſt animal rationale*, Ergo omne. *B.* eſt homo. Sic *rationale*, ſic *riſibile*, ſunt media, quibus idem demonſtrari poteſt. Probatur autem minor ab effectu, quia ſcilicet omne. *B.* ſentit, ratiocinatur, ridet aliquando.

Iiſdem quoque mediis demonſtrari poteſt concluſio negativa. Ut *Nullus lapis eſt rationalis*, quia videlicet *nullus lapis ratiocinatur unquam; Ergo nullus lapis eſt homo.* Idem de proprio dicendum, & definitione. Hæc autem intelligenda ſunt in demonſtratione negativâ, ſive ſit differentia, vel definitio, vel proprium prædicati, vel ſubjecti.

4°. Demonſtrari poteſt aliquid eſſe poſſibile, medium autem eſt duplex. Primum quod *Nullam involvit contradictionem eſt poſſibile*, vel *ſi exiſteret nulla ſequeretur contradictio; Ergo poteſt exiſtere*. Secundum

Concipi poteſt ejus eſſentia, & proprietates; Ergo poteſt exiſtere. Omne enim ens eſt conceptibile, non ens autem nullo modo concipi poteſt. Hinc benè dicitur (*Quidquid concipi poteſt eſt ens*) *Quidquid concipi non poteſt, non eſt ens.* A contrario autem demonſtrari poteſt quod aliquid ſit impoſſibile, ut patet, quia videlicet. *Concipi non poteſt*, vel quia *ſi exiſteret, ſequeretur contradictio.*

5°. Demonſtrari poteſt aliquid eſſe futurum, medium autem, *quo* id demonſtrari poteſt, eſt exiſtentia neceſſaria cauſæ neceſſariæ per ſe nota evidentia ſenſuum. Sic demonſtrari poſſunt futuræ Eclipſes, & conjunctiones planetarum; atque futuri motus Aſtrorum. Sic etiam demonſtrari poteſt futuros eſſe flores in ſpecie verno tempore, & fructus in ſpecie autumno; ab exiſtentiâ, ſcilicet, arborum, & plantarum in ſpecie per ſe notâ.

6°. Denique demonſtrari poteſt duo ſimul eidem ſubjecto ineſſe non poſſe, medium autem erit definitio, vel proprietates oppoſitorum; Contrariorum videlicet, ſi fuerint contraria; vel Contradictoriorum; vel Relativorum, vel Privantium; ſi privantia fuerint, vel contradictoriâ, vel relativa.

Ex his clarè poteſt intelligi *quo media* quælibet concluſio certa, & evidens erui

poſſit. Quapropter hæc ſufficere arbitramur. Supereſt ut aliquid de Officio Argumentantis, & Reſpondentis dicamus.

CAPUT VI.

De Officio Argumentantis, & Reſpondentis.

ARgumentantis officia tria ſunt, primum eſt Argumentum clarè, & breviter proponere. Secundum id, quod negatum fuerit à reſpondente, directè probare; ita ut propoſitio negata præcedentis argumenti ſit ſequentis concluſio. Tertium eſt non eſſe nimium pertinacem.

Reſpondentis item tria ſunt officia, primum eſt argumentum integrum fideliter repetere; ſecundum ad ſingulas propoſitiones reſpondere concedendo vera, negando falſa, diſtinguendo ambigua. Tertium eſt animi ſenſum interroganti dilucidè declarare; interdùmque affirmati, aut negati rationem poſtulanti reddere. Quæ omnia ipſo uſu, & experientiâ facilia evadent, atque clariùs innoteſcent.

CAPUT VII.

De Syllogiſmo Dialectico.

Syllogiſmus topicus, aut dialecticus *is eſt, cujus concluſio eſt tantùm probabilis*, vel *cujus præmiſſæ generant opinionem.*

Proprium hujus Syllogiſmi eſt, quod ejus præmiſſæ ſint tantùm probabiles; vel ſaltem quod earum altera ſit evidens, & alia probabilis.

Sunt autem probabilia, quæ talia videntur omnibus, aut plurimis, aut ſapientibus. Omnibus quidem videtur bonum amicos conciliare, plurimis par pari referendum; ſapientibus bona animi anteponenda bonis corporis. Prætereà omnia, quæ poſſunt demonſtrari, poſſunt eſſe concluſio Syllogiſmi dialectici; ſi nempe per media tantùm probabilia, vel obſcura probentur.

Cæterùm ad hunc Syllogiſmum pertinent loci communes à Rethoribus, & Dialecticis adinventi, ex quibus erui poſſunt veriſimilia argumenta ad probandam quamlibet propoſitionem dialecticam. Hi autem loci ſunt à definitione, deſcriptione, notatione nominis, à conjugatis, ab oppoſitis, ab antecedentibus, & conſequentibus à cauſis, & cæteris; quæ quia ſunt propria Rethorum, & Dialecticorum: Rethoribus quoque, & Dialecticis relinquen-

da cenſemus. Ut autem habeas exempla Syllogiſmi dialectici duos ſequentes tibi exhibeo.

Quod voluptatem affert non eſt contemnendum,
Sed divitiæ voluptatem afferunt,
Ergo divitiæ non ſunt contemnendæ.

Ad Rempublicam adminiſtrandam boni, & ſapientes ſunt eligendi,
Sed Petrus eſt bonus; & ſapiens,
Ergo Petrus eſt eligendus ad Rempublicam adminiſtrandam.

CAPUT VIII.

De Syllogiſmo Sophiſtico.

SYllogiſmus Sophiſticus, ſeu litigioſus, aut fallax *is eſt, cujus concluſio eſt tantùm aparenter vera*, vel ratione materiæ, vel ratione formæ, vel ratione utriuſque, ita ut non ſcientiam, ſed errorem pariat.

Ratione materiæ falſus eſt ſequens Syllogiſmus, quamvis probabilis appareat; quia major eſt falſa: etiamſi vera videatur, & ideò neganda.

Quidquid non amiſiſti habes,
Sed non amiſiſti theſaurum,
Ergo habes theſaurum.

Subſequens eſt falſus ratione formæ, cùm ſit in ſecundâ figurâ, in quâ concluſio debet

eſſe negativa, & altera præmiſſarum; alioquin medius terminus non diſtribuitur.

Omnis homo eſt animal,
Sed omnis Leo eſt animal,
Ergo omnis Leo eſt homo.

Conceſſis itaque præmiſſis Reſpondens negabit conſequentiam, quia argumentum non eſt in forma.

Sequèns verò Syllogiſmus peccat in materiâ, & formâ ſimul.

Quidquid non amiſiſti habes,
Sed hunc librum habes (quia ſcilicet amiſſum inveniſti)
Ergo hunc librum non amiſiſti.

Reſpondetur itaque negando majorem, vel negando conſequentiam; quia Syllogiſmus non eſt in forma. Cùm ſit in ſecundâ figurâ, in quâ præmiſſarum altera debet eſſe negativa; alioquin medius terminus non diſtribuitur.

Hujuſmodi Syllogiſmi vocantur ſimpliciter Sophiſtici. Alius verò eſt qui dicitur Pſeudographus, ſeu Paralogiſmus; cujus concluſio non ſolùm videtur vera, ſed etiam neceſſaria; cùm tamen ſit omninò falſa. Hic autem conſtat ut plurimùm principiis alicujus ſcientiæ malè intellectis. Ut hic Syllogiſmus, qui videtur demonſtratio Geometrica.

Omnes lineæ ducta à puncto ad punctum ſunt æquales,
Sed lineæ recta, & obliqua poſſunt duci ab eodem puncto ad aliud,
Ergo lineæ recta, & obliqua poſſunt eſſe æquales.

Reſp. diſt. maj. Omnes lineæ rectæ ductæ ab uno puncto ad aliud punctum ſunt æquales, Conc. lineæ obliquæ, neg. & neg. conſeq.

CAPUT IX.

De Sophiſtarum fallaciis.

Omnis igitur fallacia Syllogiſmi Sophiſtici. Vel in forma, quam ſatis accuratè explicavimus, vel in vocibus, vel in rebus poſita eſt.

Quæ in vocibus eſt, fallacia dictionis dicitur, quæ vel eſt in æquivocatione alicujus vocis, & æquivocatio vocatur: vel in æquivocatione propoſitionis, tuncque dicitur Amphibologia. Utriuſque exemplum accipe.

EXEMPLUM.

Æquivocationis in voce.

Omnis canis eſt latrabilis,
Sed quoddam ſidus eſt canis,
Ergo quoddam ſidus eſt latrabile.

EXEM

EXEMPLUM.

Æquivocationis in Propoſitione.

Qui arat litus, ſcindit terram,
Sed qui operam perdit, arat litus,
Ergo qui operam perdit, ſcindit terram.

VTriuſque Syllogiſmi neganda eſt minor propoſitio. Nam quoddam ſidus non eſt verè canis : Sed habet tantùm figuram canis. Neque qui operam perdit, verè dicitur arare litus. Unde negari etiam poteſt conſequentia : quia ſunt quatuor termini in utroque Syllogiſmo.

Æquivocatio in voce oritur aliquando ex varietate accentûs. Ut in ſequenti ſophiſmate apparet.

Qui lepôres venatur, canibus indiget,
Sed poeta lepôres venatur,
Ergo poeta canibus indiget.

In hoc Syllogiſmo diſtinguenda minor, ſed poeta lepôres venatùr, conc. Lepôres, neg. Et neg. Conſeq.

Æquivocatio denique in propoſitione contingit, quando quis argumentatur à ſenſu diviſo ad compoſitum, vel à ſenſu compoſito ad diviſum. Ut patet ex duobus exemplis ſequentibus.

A ſenſu diviſo ad compoſitum.

Cæci vident,

Sed qui caret oculis, eſt cæcus,
Ergo qui caret oculis videt.

Reſp. Diſt. Mai. Cæci vident in ſenſu diviſo à cæcitate, id eſt, ſuppoſitò quod viſum recipiant, Conc. In ſenſu compoſito cum cæcitate, id eſt, ſuppoſitò quod cæci maneant, neg. Et conceſsâ minore, negatur conſequentia.

A ſenſu compoſito ad diviſum
Impoſſibile eſt dormientem ratiocinari,
Sed Petrus eſt dormiens,
Ergo impoſſibile eſt Petrum ratiocinari.

Reſp. Diſt. Mai. Impoſſibile eſt dormientem ratiocinari in ſenſu compoſito, id eſt, ſuppoſitò, Quod dormiat, Conc. In ſenſu diviſo, id eſt, ſuppoſitò quod evigilet à ſomno, neg. Et conceſsâ minore, negatur conſequentia cum eâdem diſtinctione.

CAPUT X.

De Fallaciis In Rebus.

Fallaciæ, quæ in rebus latent, ſæpiùs occurrunt, nec tam facilè deprehenduntur. Hujuſmodi autem fallaciæ ſunt ſeptem. 1ª. Dicitur fallacia accidentis, 2ª. A dicto ſimpliciter ad dictum ſecundùm quid, 3ª. Dicitur fallacia ignorationis elenchi, 4ª. Conſequentis, 5ª. Petitionis principii, 6ª. Non cauſæ pro cauſa, 7ª. Denique multiplicis interrogationis, de quibus breviter gendum.

1ª. Fallacia Accidentis eſt, cùm id, quod dicitur per accidens de prædicato, dicitur etiam de ſubjecto. Ut

Animal eſt genus,
Sed homo eſt animal,
Ergo homo eſt genus.

Vel

Animal eſt quadrupes,
Sed homo eſt animal.
Ergo homo eſt quadrupes.

Reſp. ad utrumque neg. conſequent. Quia neuter eſt in formâ. Uterque enim eſt in primâ figurâ, in quâ major debet eſſe univerſalis; alioquin medius terminus non diſtribuitur. Vel diſting. Major. Animal eſt genus, vel quadrupes per ſe, neg. per accidens, Conc. Et neg. Conſequent. Per accidens eſt enim animali quod ſit genus, vel quadrupes.

2ª. Fallacia eſt à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter; vel à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundùm quid. Ut ſi quis dicat.

Æthiops eſt albus ſecundùm dentes,
Ergo æthiops eſt albus, Intelligendo ſimpliciter.

R. Neg. Conſequens.

Si quis autem dixerit *Arma reſtituenda ſunt domino, ergo reſtituenda ſunt domino furioſo*; Argumentabitur malè à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundùm quid: Quapropter

neg. Conſequens. Sic malè concluditur de toto, quod de parte ſolâ dicitur, & malè concluditur de parte, quod de toto ſolùm verificatur.

3ª. Fallacia dicitur ignorationis Elenchi, id eſt, argumenti, ſeu redargutionis. Quando ſcilicet colligitur concluſio, quæ videtur contradictoria propoſitionis jam conceſſæ, reverà tamen non eſt contradictoria. Ut ſi reſpondens conceſſerit. *Numerum ternarium excedere binarium, & non excedere quaternarium*; Sophiſta tunc inferat admiſſam eſſe contradictionem, nempè *ternarium excedere, & non excedere*, quæ videntur contradictoria, & non ſunt, atque reſpondentem ad anguſtias redigat, tunc dicitur decipere ignoratione elenchi. Negandum eſt igitur eſſe contradictionem, quia contradictio eſt affirmatio, & negatio ejuſdem ſecundùm idem.

4ª. Fallacia dicitur conſequentis, cùm ex oppoſito antecedentis infertur oppoſitum conſequentis; id enim legitimè fieri non poteſt. Ut ſi quis dicat, *Si ignis eſt, calor eſt*; *Ergo ſi ignis non eſt, calor non eſt*. Negandum eſt conſequens.

5ª. Fallacia eſt petitionis principii, cùm idem probatur per idem, vel per aliud obſcurius; vel æquè obſcurum. Ut ſi velis probare *Petrum eſſe juſtum*, quia omnis homo juſtus eſt; vel *ſolem quieſcere*, quia terra

movetur : id namque eſt de quo potiſſimùm quæritur. Sæpè committitur hæc fallacia; cùm unum incognitum per aliud incognitum probare conamur. Similiter qui reſpondet petit principium, quando reſpondendo argumentanti, qui quærit ab eo rationem negati, ipſam theſim affert pro ratione ſuæ reſponſionis.

6a. Fallacia eſt à non causâ pro causâ, cùm ſcilicet Argumentans affert rationem, vel cauſam, quæ nullo modo cauſa eſt, vel ratio concluſionis. Ut ſi quis dicat *hominem ratiocinari*, quia eſt animal.

7a. Denique fallacia eſt multiplicis interrogationis, cùm ſcilicet plures interrogationes ita proponuntur, ut una tantùm videatur interrogatio. Ut ſi quis quærat. *An ſol, & terra moveatur*. Ad vitandam itaque fraudem pluribus reſponſionibus utendum eſt, dicendo videlicet *ſol movetur, terra verò non movetur.*

Sed de fallaciis ſophiſtarum ſatis. Hæc autem diximus non ut artem ſophiſtarum non ſolùm inutilem, verùm etiam ridiculam, & noxiam diſcas; ſed potiùs ut ab eorum fallaciis tibi caveas. Id autem facilè fieri poteſt diſtinguendo ſcilicet propoſitiones ambiguas, vel negando conſequentiam. Quotieſcumque igitur argumentum non eſt in forma, neque negari, vel diſtingui poſſunt præmiſſæ; neganda eſt conſequentia; ſed

ſtatim reddenda ratio; quia ſcilicet peccat contra regulas figuræ, in quâ factum eſt. Quoties verò negari poſſunt præmiſſæ, vel diſtingui, aut earum altera, tunc diſtinguenda eſt, vel neganda, & neganda conſequentia ſub eâdem diſtinctione.

CAPUT XI.

De Reliquis Argumentationis ſpeciebus.

POſtquàm de Syllogiſmo, qui eſt prima ſpecies argumentationis, egimus, reliquas etiam argumentationis ſpecies proſequi operæpretium eſt: cùm oppoſitorum eadem ſit ſcientia. Id autem in hoc capite breviter abſolvemus. Hujuſmodi ſpecies ſunt quinque, videlicet Enthimema, Inductio, Dilemma, Sorites, & Epicherema.

Enthimema eſt ſpecies Argumenti, quod duplici conſtat propoſitione, antecedente, ſcilicet, & conſequente; quæ autem propoſitio non exprimitur, ſemper ſubintelligitur. Quapropter Enthimema eſt Syllogiſmus integer in mente, mutilatus, & imperfectus in ore. Ut

Omnis homo eſt animal,
Ergo omnis homo eſt ſenſitivus.

Hujus Argumenti frequens eſt uſus apud Rethores, & Philoſophos; quod mens eam fugiat tarditatem, quæ in ſerie Syllogiſtica occurrit; nam, ut ſibi quædam intelligen-

da relinquantur, quodammodò poſtulat. Quapropter inter viros doctos, qui multa clarè intelligunt, & in materiâ evidenti, & neceſſariâ tantùm uſus frequentior eſſe debet. Conſequens autem Enthimematis nunquam debet eſſe falſum; Alioquin ſatiùs foret Syllogiſmum integrum conficere. Quod ſi fuerit falſum, nunquam negari debet conſequentia; quia cùm non ſit in formâ Syllogiſticâ, non concludit ratione formæ, ſed tantùm ratione materiæ; atque ideò negari tantùm poteſt conſequens, non conſequentia.

Reducitur autem Enthimema ad Syllogiſmum additione unius præmiſſæ, ut, *Omnis homo eſt animal, Ergo omnis homo eſt ſenſitivus*, reducitur additione hujus majoris propoſitionis (*Omne animal eſt ſenſitivum*.

Inductio eſt argumentatio, in quâ ex omnium partium enumeratione totum colligitur. Ut *Petrus eſt rationalis*, *Paulus eſt rationalis*, *Joannes eſt rationalis*, & ſic de reliquis, *Ergo omnis homo eſt rationalis*. Sic colliguntur propoſitiones univerſales.

Proprium inductionis eſt quod ea ſit ad omnem ſcientiam maximè neceſſaria; cùm nulla cognitio univerſalis acquiri poſſit ſine præviâ inductione ſufficienti.

Dilemma eſt argumentatio, quæ propoſitione disjunctivâ innititur, atque ex toto

idem colligit, quod fuerat ex partibus ſeorſùm concluſum. Ut in hoc adversùs impios dilemmate (*vel in morte toti pereunt, vel animæ eorum manent immortales; ſi toti pereunt, nulla eis ſpes relinquitur: ſi immortales ſint eorum animæ, æternis ob impietatem pœnis torquebuntur; Ergo nulla ſpes impiis reliqua eſt.*)

Proprium hujus argumentationis eſt quod ad ſcientiam parùm idonea ſit, quamvis Rethoribus ea ſit uſitatiſſima. Aliquando tamen ab argumentante ſic proponitur, vel *Anima hominis eſt ſpiritualis, vel corporea; quidquid dixeris argumentabor.*

Sorites, ſeu gradatio eſt argumentatio, quæ pluribus propoſitionibus conſtat; ita ut prædicatum prioris ſit ſubjectum poſterioris: donec ultimæ propoſitionis prædicatum dicatur de ſubjecto primæ propoſitionis; Quapropter dicitur etiam argumentatio à primo ad ultimum. Ut patet in ſequenti exemplo.

Omnis homo eſt animal,
Omne animal eſt vivens,
Omne vivens eſt corpus,
Omne corpus eſt ſubſtantia,
Ergo à primo ad ultimum omnis homo eſt ſubſtantia.

Hæc argumentatio ad ſcientiam inepta eſt, quamvis Rethoribus, & Geometris ea ſit non rarò in uſu; quia videlicet non po-

teſt intellectus plura ſimul diſtinctè percipere. Unde argumenta compoſita priùs ſunt reſolvenda in ſimplicia.

Epicherema denique eſt argumentatio, in quâ utrique præmiſſæ vel ſaltem alteri ſubjicitur probatio, ne mentem offendat obſcuræ propoſitionis dilata probatio. Ut in hoc exemplo.

Omne animal eſt vivens, quia actus vitales exercere poteſt,

Sed omnis homo eſt animal, quia omne ſenſitivum eſt animal, & omnis homo eſt ſenſitivus.

Ergo omnis homo eſt vivens.

Proprium hujus argumentationis eſt quod in privatis colloquiis, atque in libris ea gratiſſima ſit, ubi tantùm eſt adhibenda, non in publicis argumentationibus.

PARS QUARTA LOGICÆ.

PRÆFATIO.

AD hanc ultimam Logicæ partem difficiliores omnes totius Logicæ quæſtiones tam quæ procœmiales dicuntur; quàm eas, quæ in totius Logicæ decurſu occurrunt, rejiciendas cenſuimus, atque de facto rejecimus: tum propter rationes jam allatas in procœmio Logicæ; tum quia difficiliorum quæſtionum, quæ in decurſu Logicæ paſſim occurrunt, difficultatibus nimium intentus confunditur intellectus: intermixtis etiam quæſtionibus ordo ſcientiæ perturbatur; neque methodus rectè percipitur. Hinc omnia plerùmque confuſa, quæ clariſſima, atque evidentiſſima eſſe debuerunt.

Hanc itaque partem, ſicut & cæteras, in duos tractatus dividemus, in quorum primo procœmiales tum Philoſophiæ, tum Logicæ quæſtiones præmittemus; in ſecundo autem tractatu quæſtiones omnes, quæ ad

tres mentis operationes pertinent, breviter, & clarè per ordinem tractabimus.

TRACTATUS PRIMUS.

De Philoſophia In Genere.

DE Philoſophiâ in communi quæri poteſt primò quid illius nomine intelligatur, & quid ſit, ſecundò an exiſtat, vel utrum poſſit acquiri, tertiò quæ ſint illius cauſæ, quartò quæ ſint illius ſpecies, ſeu partes.

QUÆSTIO PRIMA.

De Nomine, & Eſſentiâ Philoſophiæ.

PHiloſophia, ſi nominis æthimologiam conſideres, idem eſt ac *ſtudium ſapientiæ*. Multis quidem fuit olim, & variis inſignita nominibus, inter quæ præcipuum fuit nomen *ſapientiæ*; unde & Philoſophi *ſapientes* vocabantur, donec Pythagoras interrogatus à Leontio Rege an ſapiens eſſet, ſe non *ſapientem*, ſed Philoſophum, id eſt, ſapientiæ ſtudioſum eſſe reſpondit: quod utique nomen ita poſteris placuit, ut quamtumlibet de rebus ad ſapientiam pertinentibus quiſque vel ſibi, vel aliis videretur excellere; non niſi Philoſophus vocaretur.

Si verò rei definitionem deſideres, Phi-

loſophia *eſt ſcientia rerum omnium, quæ naturali lumine ſciri poſſunt.*

Explicatur definitio. *Scientia eſt cognitio certa, & evidens ex principiis certis, & evidentibus*, id eſt, *ex duabus aliis cognitioninibus certis, & evidentibus neceſſariò deducta, non ſolùm neceſſitate conſequentiæ, verùm etiam neceſſitate conſequentis.* Quamvis autem jam fuerit explicatum quid ſit neceſſitas conſequentis, & neceſſitas conſequentiæ; quia tamen hæc magni momenti ſunt, placet ea repetere, atque clariùs explicare.

Neceſſitas itaque conſequentis eſt, quandò ab antecedente colligitur conſequens, quod ab antecedente neceſſariò ſequitur. Ut *Omnis homo eſt rationalis, Ergo omnis homo eſt admirativus.* Hæc cognitio quod *homo ſit admirativus*, deducitur neceſſitate conſequentis, id eſt, ratione materiæ, ex qua neceſſariò ſequitur.

Neceſſitas verò conſequentiæ eſt, quandò ratione formæ Syllogiſticæ neceſſariò deducitur concluſio. Ut *Omne rationale eſt admirativum, ſed omnis homo eſt rationalis, Ergo omnis homo eſt admirativus.* Conceſſis enim præmiſſis neceſſariò ſequitur concluſio ratione formæ. Ad ſcientiam itaque requiritur tam neceſſitas conſequentis, quàm neceſſitas conſequentiæ; quia ſi alterutra deſit nulla erit ſcientia. Si enim deſit neceſſitas conſequentiæ, non erit tibi certum,

& evidens quod benè ratiocineris; ſi verò deſit neceſſitas conſequentis, id eſt, ſi conſequens non ſequatur neceſſariò ex antecedente, nulla quoque erit ſcientia: quia *de contingenti non datur cognitio certa.*

Hinc ſcientia diſtinguitur ab intellectu, quia intellectus *eſt evidens, & certa cognitio principiorum, quæ ſunt per ſe nota ſolo lumine naturali, & ſine omni diſcurſu.*

Diſtinguitur ab opinione, quia opinio *eſt concluſio, ſeu cognitio tantùm probabilis, ſive incerta, & inevidens ex principiis incertis, & inevidentibus deducta.*

Diſtinguitur à fide humanâ, quia fides humana *eſt concluſio obſcura ex principiis obſcuris ab authoritate, ſeu hominum teſtimonio firmatis deducta.*

Diſtinguitur à fide divinâ, ſeu fide ſupernaturali, quâ credimus omnia Religionis myſteria, quæ à Deo revelata ſunt. Quia fides ſupernaturalis *eſt concluſio certa, & obſcura ex principiis certis, & obſcuris*, nempè Dei revelantis teſtimonio firmatis deducta.

Diſtinguitur ab Arte, quæ *eſt habitus cùm rectâ ratione factivus*, ſeu cognitio per rectam rationem parta, quâ artifex ad aliquid faciendum dirigitur.

Diſtinguitur denique à ſenſu, ſive à cognitione, quæ per ſenſus immediatè hauritur. Quia licet hujuſmodi cognitio evidens, & certa eſſe poſſit pro eo inſtanti: eſt tamen

cæ Medicinam vel Matheſim adjungat. Atque in hoc ſenſu perfecta Philoſophia poteſt acquiri.

Probatur concluſio. Philoſophia eſt ſcientia rerum omnium, quæ naturaliter ſciri poſſunt, atqui nulla eſt potentia, quæ non poſſit reduci ad actum; Ergo omne naturaliter ſcibile naturaliter ſciri poteſt, ac proindè perfecta Philoſophia poteſt acquiri.

Objic. 1°. Omnis cognitio noſtra intellectiva à ſenſibus initium ducit, ſed omnis ſenſus eſt fallax; Ergo omnis cognitio noſtra eſt incerta, neque ulla poteſt acquiri ſcientia.

Probatur min. Quia viſus baculum in aquâ repræſentat fractum, & Solem diſco æqualem; licet terræ molem multoties ſuperet magnitudine; ſunt & alii errores viſûs quamplurimi, quibus corrigendis tota penè Optica, ſeu perſpectiva occupatur. Guſtus quoque in ægris dulcia repræſentat amara, & ſic de aliis ſenſibus, ut patet experientiâ; Ergo omnis ſenſus eſt fallax.

Reſpond. Diſt. minor. Omnis ſenſus eſt fallax, ideſt, poteſt eſſe aliquandò initium, ſeu occaſio erroris: ſi intellectus malè utatur ſenſibus, concedo; ſi benè, & ſecundùm rationem utatur ſenſibus, nego; & nego conſequentiam. Quamvis enim omnis cognitio noſtra ducat initium à ſenſibus,

perficitur tamen in intellectu; qui novit ſenſus dirigere, & ad proprium objectum diverſimodè applicare: ita ut certa, & evidens percipiatur cognitio.

Sic cùm viſus fractum in aquâ baculum repræſentat, novit intellectus aſſenſum cohibere; donec multiplici experientiâ, atque diversâ ſenſûs applicatione circa idem objectum certa, & evidens eruatur cognitio. Tunc enim manus admovet ad baculum, quem educit ab aqua; & eductum oculis objicit, & manibus palpat; & cùm utroque ſenſu tactûs, ſcilicet, & viſûs integrum repererit; idque multoties, ſi opus ſit, fuerit expertus; hinc duplicem cognitionem certam, & evidentem eruit, nempè quod baculus non ſit fractus in aquâ; & quod illa aparentia ex aliâ causâ oriatur, quam deinde per diſcurſum inveſtigando ex variâ luminis refractione oriri percipit.

Ita quoq; cùm multoties expertus ſit idem objectum eò minus aparere, quò magis ab oculo removetur, hanc cognitionem certam, & evidentem eruit, Solem multò majorē eſſe quam ab oculis percipitur: quia longiſſimè diſtat; nec poſſe veram ejus magnitudinem oculis deprehendi, ſed aliâ viâ hoc eſſe inveſtigandum, ſcilicet, ex umbrâ terræ. Cùm enim Luna Sola cæteris Planetis inferior Eclipſetur, certum eſt umbram terræ deſinere in Pyramidem. Hinc Solem terrâ eſſe

multò majorem certò, & evidenter cognoſcit. Nam ſi terræ Sol eſſet æqualis aut minor; umbra terræ indefinitè porrigeretur. Cùm igitur umbra terræ deſinat in Pyramidem, ac ſemper minuatur, uſque dum Lunam pertingat; & tamen totam Lunam adhuc obſcuret. Hinc etiam certò, & evidenter cognoſcit Lunam eſſe minorem terrâ.

Sic deniqne cùm guſtus ægroti ſaccharum repræſentat amarum, intellectus cohibere novit aſſenſum; donec recuperatâ ſanitate corporis, & ſenſuum multoties fuerit expertus ſaccharum eſſe dulce, tunc enim cauſam illius amaritudinis inveſtigando per diſcurſum certò, & evidenter cognoſcit illam amaritudinem ex bili effuſa ſuper linguam, & palatum oriri.

Omnis igitur ſenſus eſt quidem fallax per accidens, non autem per ſe; quia omnis ſenſus verè repræſentat objectum, quod ei objicitur, & eo modo, quo ei objicitur in tali circumſtantiâ; in quo nulla eſt falſitas. per accidens autem fallere poſſunt ſenſus, ſi intellectus nimium præceps fuerit in judicando rem ita eſſe, ut objicitur ſenſibus: antequàm id variâ, ac multiplici experientiâ circa idem objectum perpenderit.

Objic. 2°. Omnis cognitio univerſalis certa, & evidens colligitur ab enumeratione omnium particularium; ſed impoſſi-

bilis eſt illa enumeratio omnium particularium, Ergo nulla poſſibilis eſt cognitio univerſalis certa, & evidens; ac proindè nulla poſſibilis eſt ſcientia. Cùm in primâ figurâ Syllogiſmi, in quâ fit omnis Demonſtratio poſitiva, major propoſitio debeat eſſe univerſalis.

Reſp. neg. maj. Si enim neceſſaria eſſet enumeratio omnium particularium, eſſet tantùm neceſſaria ad propoſitionem univerſalem, quæ colligitur ab effectu contingenti; quandò, ſcilicet, rei eſſentia, vel genus, & diferentia demonſtrantur per effectum. Ut quandò demonſtratur *Omnem hominem eſſe rationalem, quia omnis homo ratiocinatur aliquandò*. Cùm enim ratiocinatio actualis ſit quid contingens, non poteſt fieri evidens, quod omnis homo ratiocinetur aliquandò; quotieſcumque ſcilicet voluerit ratiocinari, niſi per ſingularium enumerationem: ſed ad hoc etiam non eſt neceſſaria omnium omninò ſingularium enumeratio; ſed ſufficit quantò major fieri poteſt. Hujus autem enumerationis defectum, ſi quis ſit, ſupplere poteſt, & reverâ ſufficienter ſupplet; ſi nullus unquam repertus ſit, qui benè ſaltem, aut malè non fuerit ratiocinatus, quoties ei placuerit: vel qui contrarium ſe aliquandò vidiſſe affirmaverit. Neceſſarium eſt enim, quandò cauſa eſt contingens; ut non rarò

diverſus producatur effectus. Sic certus ſum potentiam viſivam, & auditivam non eſſe de eſſentiâ hominis, neque neceſſarias eſſe homini; quia mediocri factâ perquiſitione, & ſufficienti enumeratione inveniuntur homines, quorum alii nunquam viderunt, alii nunquam audierunt, vel nunquam loquuti ſunt; qui ſcilicet cæci nati ſunt, vel ſurdi, aut muti. Sic corvi aliquandò inveniuntur albi in montibus, ubi graſſantur nives, & Urſi, & Lepores, & Lupi. Nullus autem unquam inventus eſt homo, qui benè, vel malè non ratiocinaretur aliquandò, & quotieſcumque vellet.

Poteſt etiam ſupplere defectum enumerationis partium, ſi ex effectu evidenter cognito cauſa evidenter cognoſcatur. Tunc enim utrùm cauſa ſit neceſſaria, vel contingens facilè cognoſcetur. Ut ſi cognitâ evidenter ratiocinationis naturâ evidenter cognoſcam eam non eſſe effectum corporis, ſed animæ ſpiritualis; tunc enim cognoſcam me eſſe compoſitum eſſentialiter ex corpore, & animâ rationali. Quæ cognitio prædictæ partium enumerationi addita evidentem prorsùs, & certam hanc propoſitionem univerſalem efficiet (*Omnis homo eſt rationalis*) quod enim uni eſt eſſentiale, omnibus pariter ejuſdem ſpeciei eſſentiale eſt. Quamvis, ut jam dictum eſt, prædicta partium enumeratio plenè ſufficiat

ad demonſtrationem, ut patet. Atque ſic eadem concluſio univerſalis poteſt duplici modo demonſtrari, ſcilicet, ab enumeratione partium ſufficienti, & ab evidenti cognitione naturæ effectûs. Sic cognitâ evidenter naturâ nigredinis in Æthiope cognoſci evidenter poteſt cauſam nigredinis eſſe contingentem, & extrinſecam ipſi Æthiopi; ut manifeſtum eſt.

Inſtabis. Si quis in Æthiopiâ natus nullum unquam viderit hominem, niſi nigrum, is tam certò judicabit omnem hominem eſſe nigrum, quàm eſſe rationalem; & ſi ſupponatur omnem hominem eſſe nigrum, non poterit dijudicare an hæc propoſitio (*Omnis homo eſt niger*) ſit neceſſaria, vel contingens.

Reſp. 1°. Si cognoſcat clarè quid ſit nigredo, clarè cognoſcet eam eſſe quid contingens homini; ſicut quamvis nullum viderimus Coruum, niſi nigrum: tamen nullus eſt Philoſophus, qui clarè non cognoſcat nigredinem non eſſe de eſſentiâ Corui; atque Coruum poſſe exiſtere ſine nigredine.

Reſp. 2°. Nullus eſt in Æthiopiâ vir prudens, qui mediocri factâ perquiſitione non inveniat multos homines albos, qui ex aliis mundi partibus in Æthiopiam venerint; vel multos, qui ex Æthiopiâ abeuntes homi-

nes albos in aliis regionibus viderint. Sicut nullus eſt in Gallia, qui ignoret homines eſſe nigros in Æthiopia, niſi ſit prorſus ignarus, & ſtolidus; atque ad omnem ſcientiam prorsùs ineptus.

Quantùm verò ad ſuppoſitionem quod *Omnis homo ſit niger*. Reſpondeo hanc ſuppoſitionem eſſe naturaliter impoſſibilem. Cùm enim cauſa nigredinis ſit contingens homini, impoſſibile eſt quod *Omnis homo ſit niger*, vel quod *Omnis homo ſit albus naturaliter*. Nigredo enim, vel albedo ex variâ Solis diſtantiâ oritur; quæ cauſa eſt prorsùs contingens homini.

QUÆSTIO III.

De cauſis Philoſophiæ.

CUm correlativorum eadem ſit ſcientia, atque ad perfectam effectûs cognitionem neceſſaria ſit cauſarum cognitio; Philoſophiæ cauſas exquirere neceſſarium arbitramur. Cauſæ autem ſunt duæ, videlilicet, efficiens, & finalis; nam materialis, & formalis non ſunt cauſæ, ſed principia; quibus conſtat cujuſlibet rei eſſentia; ut explicabimus in Phyſicâ. Primùm itaque de cauſa efficienti Philoſophiæ, tum de finali agendum eſt.

Prima itaque, & præcipua cauſa efficiens Philoſophiæ Deus eſt, qui eam Adamo infudit in inſtanti ſuæ creationis. Debuit enim primus homo, qui cæterorum pater, & doctor futurus erat, perfectus à Deo creari: maximè cùm perfecta ſint omnia Dei opera; non ſolùm quantùm ad corpus, verùm etiam, ac multò magis quantùm ad animam; ſed magna animi perfectio naturalis eſt Philoſophia, ita ut Ariſtoteles tantùm differre hominem Philoſophum ab ignaro, quantùm differt ignarus à Bruto, aſſerere non dubitaverit, Ergo Philoſophia primo homini à Deo fuit infuſa in inſtanti creationis.

Obj. 1°. Primi parentes à ſerpente fuerunt decepti, Ergo non habuerunt rerum omnium ſcientiam perfectam.

Reſp. Mulierem tantùm fuiſſe deceptam, ut ait divus Paulus, mulier quidam ſeducta eſt, vir autem non eſt ſeductus. Hæc itaque objectio probat tantùm Philoſophiam mulieri non fuiſſe infuſam, vel non fuiſſe infuſam cùm tantâ plenitudine, ac Adamo. Decens nempe erat, ut vir perfectior muliere crearetur quantùm ad corpus, & quantùm ad animam; atque ut vir doceretur à Deo immediatè, mulier autem à viro ſuo. Caput enim mulieris vir, caput autem viri Chriſtus, qui eſt Deus Benedictus.

Obj. 2°. Omnis peccans eſt ignorans, *Errant enim omnes, qui operantur iniquitatem*, ſed primus homo peccavit; Ergo primus homo erravit.

Reſp. diſt. maj. Alius eſt error intellectûs, & alius eſt error affectûs; erravit itaque primus homo non errore intellectûs, ſed errore affectûs, per nimiam ſcilicet complacentiam, quam habuit ad mulierem, ut patet ex ipsâ ſcripturâ; nullam enim aliam Deo interroganti attulit erroris cauſam, niſi quod *mulier*, inquit, *quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.*

Prima itaque, & præcipua cauſa Philoſophiæ Deus eſt, ſed poſtquàm hominum incuriâ, atque injuriâ temporum penè fuit deleta, hanc præſtantes ingenio viri tum antiqui, tum recentiores paulatim reſtituere conati ſunt: ita ut cauſa efficiens ſecundaria Philoſophiæ ſit intellectus humanus, cui tanquam ſubjecto ea inhæret; quamvis ſubjectum denominationis ſit homo. Forma enim totum denominat, non partem. Homo itaque dicitur Philoſophus, non intellectus.

Eodem autem modo reſtituitur Philoſophia, quo artes omnes inveniuntur, admiratione ſcilicet, & experientiâ. Cùm enim aliquis occurrit novus effectus, mens ſtatim ingenti percellitur admiratione, illum-

que attentiùs atque ſuſpenſo judicio conſiderat. Hinc magnum oritur, & ingens, deſiderium cauſam, vel rationem inveniendi; quapropter an idem redeat effectus experiri conatur. Quod ſi id multis, & iteratis vicibus præſtiterit; idemque ſemper contingere animadverterit. Hinc propoſitionem univerſalem certam, & evidentem colliget. Sic qui priùs Lunæ Eclipſim animadverterunt, magnâ fuerunt admiratione commoti, cauſamque illius diligenter inquiſierunt, tandemque multis experimentis didiſcerunt eam fieri ob interpoſitionem terræ inter Solem, & Lunam. Deinde verò hanc propoſitionem univerſalem certam, & evidentem collegerunt (*Eclipſis Lunæ eſt obſcuratio Lunæ ob interpoſitionem terræ inter Lunam, & Solem*) quapropter ex ignorantiâ admiratio, ex admiratione diligens inquiſitio; ex inquiſitione multiplex experientia: ex multiplici denique experientiâ oritur ſcientia.

Cauſa verò finalis, ſeu finis Philoſophiæ duplex eſt, alius ſcilicet proximus, & immediatus; alius remotus & ultimus. Finis immediatus Philoſophiæ eſt hominis perfectio, ultimus idem eſt ac rerum omnium ſcibilium finis ultimus, qui eſt gloria Dei; nam omnia propter gloriam ſuam operatus eſt Dominus. Finis itaque ultimus Philoſophiæ eſt, ut ex cognitione creaturarum cognoſcatur

tur

tur Deus optimus, & laudetur, & glorificetur in æternum.

Obj. Primò. Philoſophia eſt ſcientia rerum omnium, quæ naturali lumine ſciri poſſunt, ſcientia autem eſt cognitio certa, & evidens ex principiis certis, & evidentibus; atqui nulla, aut ferè nulla eſt concluſio in libris Philoſophorum, quæ ſit verè certa, & evidens: nam primum omnis demonſtrationis principium adhuc ignoratur; Logica ipſa, per quam ſolam certò, & evidenter cognoſci poteſt, quo medio, quâ methodo, & quo modo quælibet concluſio poſſit, & debeat demonſtrari, jure-meritò dicitur caligo, ut ultrò fatentur Philoſophi; Ergo Philoſophia non eſt reſtituta; neceſſe eſt enim ut Logicæ caligines in totam Philoſophiam refundantur.

Reſpond. Reſtitutio Philoſophiæ non eſt opus aliquorum doctorum, aut aliquorum annorum, ſed multorum ſæculorum. Multa quidem contulit Ariſtoteles, multa divus Thomas, divus Bonaventura, Scotus, Carteſius, & alii tum Antiqui, tum Recentiores multa contulerunt. Nam ex mutuâ opinionum oppoſitione, tum dubiorum ſolutione; atque multorum, quæ ipſi præſertim Recentiores fecerunt, experimentorum exhibitione: non modica lux affulget ad reſtituendam Philoſophiam. Quapropter his omnibus propter immenſos eo-

rum labores immenſas quoque agimus gratias, quamvis reverâ Philoſophiam non reſtituerint; nimirum priùs reſtituenda erat Logica certa,& evidens, ſine quâ nulla eſſe poteſt vera, & perfecta ſcientia. Poteſt autem Deus optimus, à quo eſt omne donum optimum, & qui linguas infantium facit diſertas; per quemcumque ſibi placuerit Philoſophiam reſtituere. Hanc igitur attento, & pacato animo lege, & poſteà tuæ objectioni ſatisfaciam.

Obi. Secundò. Multi ſunt, qui ſtudent Philoſophiæ, aut avaritiæ, aut ambitionis, & vanitatis gratiâ; Ergo finis Philoſophiæ non eſt hominis perfectio.

Reſp. Neg. Conſeq. Alius eſt enim finis Philoſophi, & alius Philoſophiæ; varius enim eſſe poteſt finis Philoſophi juxta varias illius affectiones, Philoſophiæ non item.

Obi. Tertiò. Philoſophia perſæpè nocet, ac in errores inducit, & hæreſes, moreſque corrumpit; Ergo finis proximus Philoſophiæ non eſt hominis perfectio, nec finis ultimus Dei glorificatio. Ut liquet ex divo Paulo, *ſcientia inflat*; & alibi, *videte ne quis vos ſeducat per Philoſophiam, & inanem fallaciam.*

Reſp. Diſt. Ant. Philoſophia perſæpè nocet per accidens, Conc. Per ſe, neg. Nam, ut jam dictum eſt, Philoſophia eſt cognitio

certa, & evidens veritatis; cognitio autem veritatis per ſe nemini unquam nocere poteſt, ut manifeſtum eſt. Atque ita nullus unquam error ex vera, & germana Philoſophia ortus eſt, nec oriri poteſt, cùm verum non ſit contrarium vero, nec ex vero poſſit unquam erui falſum. Itaque divus Paulus non de vera loquebatur, ſed de inani, atque fallaci Philoſophia.

Finis ergo proximus Philoſophiæ eſt hominis perfectio, finis ultimus Dei glorificatio. Finis verò Philoſophi varius eſſe poteſt, alii enim ut errores, & hæreſes confirment argumentis fallacibus; alii ambitionis, aut turpis lucri gratiâ Philoſophiæ ſtudent: & ſic abutuntur Philoſophiâ; mali quippe optimis quibuſque abutuntur in ſuam ipſorum perniciem, ſicut hæretici abutuntur ſcripturâ ſacrâ.

QUÆSTIO IV.

De Speciebus, Seu Partibus Philoſophiæ.

Dividitur Philoſophia in Logicam, & Metaphyſicam, in Phyſicam, & Ethicam, ſeu moralem, quibus adduntur Mathematicæ, & Medicina, quæ ſeparatim traduntur.

Objectum Logicæ eſt ens ſcibile, ut ſcibile eſt, finis verò Logicæ eſt directio intellectûs ad omnes ſcientias perfectè acquirendas.

Objectum Metaphyſicæ eſt ens creatum ut abſtrahit à corporeo, & incorporeo.

Objectum Phyſicæ eſt ſubſtantia corporea, ſeu corpus naturale; vel potiùs ens corporeum naturale.

Objectum Ethicæ eſt hominis Beatitudo; finis verò Ethicæ eſt directio hominis ad acquirendam Beatitudinem.

Objectum Medicinæ eſt animal ut ſanabile, finis Medicinæ eſt directio hominis, ſeu medici ad reſtituendam animali ſanitatem.

Mathematicæ dividuntur in plures ſpecies, quarum præcipuæ ſunt ſex.

1a. Eſt Arithmetica, cujus objectum eſt quantitas diſcreta; ſeu numerus ab omni materiâ determinatâ abſtractus.

2a. Eſt Geometria, cujus objectum eſt quantitas continua etiam ab omni materiâ determinatâ abſtracta.

3a. Eſt Aſtronomia, quæ cœlorum, & Aſtrorum quantitatem, & motum Arithmeticè ſimul, & Geometricè conſiderat.

4a. Eſt Muſica, quæ circa ſonorum quantitatem Arithmeticè pariter, & Geometricè verſatur.

5a. Eſt optica, cujus objectum eſt luminis motus.

6a. Denique eſt Mechanica, quæ machinarum motum conſiderat.

Hæ ſunt præcipuæ ſpecies Matheſis, quæ in alias deinde ſpecies ſubdividuntur mi-

nùs præcipuas, quas in libris reperies facillimè.

Obijc. Machinæ ſunt artefacta, & entia complexa ex ſubſtantiâ, & accidente, quæ non poſſunt eſſe objectum ſcientiæ; ſed Mechanica verſatur circa machinas: ergo Mechanica non eſt ſcientia.

Reſpondeo conceſsâ mai. Neg. Min. Mechanica enim non circa machinas verſatur, ſed circa machinarum motum; motus autem eſt quid incomplexum, & ſcibile ubicumque ſit; ideò etiam in ipſis machinis, & artefactis eſt objectum ſcientiæ. Quapropter negatur conſequentia.

QUÆSTIO V.

De Scientiarum Præſtantia.

Scientiæ aliæ ſunt minùs notæ, & magis nobiles; aliæ magis notæ, & minùs nobiles.

Minùs notæ, & magis nobiles ſunt, quæ magis compoſitæ ſunt; quia videlicet aliarum cognitionem præſupponunt; plures enim cognitiones magis expetendæ ſunt, & magis perficiunt intellectum, quàm paucæ. Quapropter Ethica, quæ Phyſicam præſupponit omnibus ſupereminet; huic ſuccedit Phyſica, deindè Medicina; poſteà Optica, tùm Muſica ſpeculativa; deindè Aſtronomia, cui ſuccedit Mechanica, deindè-

Geometria, poſteà Arithmetica ſpeculativa, tum Metaphyſica, ultimum denique locum obtinet Logica.

Cæterùm omnes ſunt pariter certæ, & evidentes, quia cùm ſint veræ ſcientiæ, id eſt, cognitiones certæ, & evidentes; & quod certum, & evidens eſt, non poſſit eſſe magis, vel minùs certum, & evidens altero; ideò una non poteſt eſſe certior, aut evidentior alterâ; quamvis una poſſit faciliùs acquiri, quàm altera. Ut Arithmetica, & Geometria, quia cùm in lineis, vel figuris, aut numeris, qui oculis ſubjiciuntur, fiunt demonſtrationes; intellectus oculorum auxilio diſtinctiùs objectum percipit, atque faciliùs retinet. Maximè cùm aliis ſimpliciores ſint.

Objic. Primò. Deus eſt objectum nobilius, quàm cætera omnia ſimul, atqui objectum Metaphyſicæ eſt Deus; Ergo Metaphyſica eſt nobilior cæteris ſcientiis omnibus.

Reſp. Diſt. Min. Atqui objectum Metaphyſicæ eſt Deus, objectum partiale, Conc. Objectum attributionis, nego. Similiter diſt. Conſeq. Ergo Metaphyſica eſt nobilior cæteris ſcientiis omnibus ſecundùm aliquam ſui partem, concedo; abſolutè, & ſimpliciter nego. Maximè cùm id non ſit peculiare Metaphyſicæ; nam omnis ſcientia de Deo tractare debet ut de causâ primâ ſui objecti;

Correlativorum enim eadem eſt ſcientia. Id autem primò fit in Metaphyſicâ, quia hæc prima eſt quæ de ente creato tractat.

Obj. 2º. Quod propter ſe expetitur nobilius eſt, quàm quod expetitur propter aliud; ſed ſcientiæ ſpeculativæ propter ſe expetuntur, & practicæ propter aliud; Ergo ſcientiæ ſpeculativæ nobiliores ſunt practicis.

Reſp. diſt. maj. Quod propter ſe expetitur, nobilius eſt, quàm quod expetitur propter aliud, cùm id, quod expetitur propter aliud, non includit quod expetitur propter ſe, conc. Cùm id quod expetitur propter aliud, includit quod expetitur propter ſe, neg. & conceſsâ minore Diſt. conſeq. Ergo ſcientiæ ſpeculativæ nobiliores ſunt practicis, quæ non includunt, aut præſupponunt ſpeculativas, conc. quæ præſupponunt, & includunt ſpeculativas nego. Sic Ethica Logicam, Metaphyſicam, & Phyſicam totam includit, & præſupponit, Medicina Logicam, Metaphyſicam, & ferè totam Phyſicam. Logica verò, cùm ſit practica, nullam præſupponit, atque ideò cæteris eſt ignobilior. Hæc itaque objectio eſt vera, quando cognitiones practicæ non ſunt ſcientiæ, aut ſcientiam ipſam non præſupponunt.

Obj. 3º. Mathematicæ ſunt magis com-

poſitæ Phyſicâ, cujus cognitionem præſupponunt, ſicut Medicina; Ergo Mathematicæ, & Medicina ſunt nobiliores Phyſicâ.

Reſp. diſt. ant. Mathematicæ, & Medicina ſunt magis compoſitæ aliquâ, vel aliquibus partibus Phyſicæ,Conc.totâ Phyſicâ,nego.Diſt. etiam conſeq. Ergo ſunt nobiliores aliquâ, vel aliquibus partibus Phyſicæ,Conc. totâ Phyſicâ,neg.Sic Arithmetica & Geometria ſunt nobiliores eâ parte Phyſicæ, quæ de quantitate tractat; Mechanica nobilior eſt eâ parte Phyſicæ, quæ tractat de motu; Aſtronomia nobilior eſt eâ parte Phyſicæ, quæ tractat de cœlo; Muſica eâ parte, quæ tractat de voce, & ſono; Optica eâ parte, quæ tractat de lumine, & viſione; Medicina denique eâ parte, quæ tractat de animali.

Scientiæ denique magis notæ, & minùs nobiles ſunt,quarum objectum ſimplicius, & univerſalius eſt, & quarum concluſiones jam demonſtratæ in aliis ſcientiis præſupponuntur. Nam methodus ſcientiæ neceſſariò exigit ut ſemper à ſimplicibus ad compoſita, & ab univerſalioribus ad minùs univerſalia procedamus. Neque enim ſciri poteſt compoſitum, niſi priùs ſimplicia, vel partes, ex quibus componitur, certò, & evidenter cognoſcantur. Ideò Logica eſt magis nota, & minùs nobilis

cæteris omnibus ſcientiis, quæ ipſi ſubordinantur omnes; quia prior, & ſimplicior, atque univerſalior eſt ſcibilitas Entis, quæ eſt objectum Logicæ; quàm ſcientia entis. Logicam ſequitur Metaphyſica, & aliæ deinceps ordine præcedenti inverſo.

Objic. Objectum Metaphyſicæ eſt minùs notum nobis, quàm objecta aliarum ſcientiarum; cùm enim ſimus corporei, & omnis cognitio noſtra ducat initium à ſenſibus: magis nota ſunt nobis corporea, quàm abſtracta à corporeis. Objectum autem Metaphyſicæ eſt ens abſtractum à corporeo, & incorporeo; Ergo Metaphyſica eſt minùs nota, atque nobilior cæteris ſcientiis, atque poſt ipſas omnes tradenda.

Reſp. diſt. ant. Objectum Metaphyſicæ eſt minùs notum nobis quoad ſenſuum perceptionem, concedo, quoad ſcientiam nego. Nam univerſaliora ſunt magis, & priùs nota quoad ſcientiam, quàm minùs univerſalia, & ſingularia, ut patet ex ipsá Logicâ. Nam objectum Logicæ eſt adhuc univerſalius objecto Metaphyſicæ, nemo tamen dubitat quin Logica omnes alias ſcientias præcedere debeat: idcirco negatur conſequens.

Hîc notandum quod omnes ſcientiæ practicæ habent finem ab objecto diſtinctum, ſic Logicæ objectum eſt ens ſcibile, ut ſcibile eſt, finis verò directio intellectûs, ſive

hominis ad omnes ſcientias perfecte acquirendas. Objectum Ethicæ eſt hominis beatitudo; finis autem eſt directio hominis ad Beatitudinem acquirendam. Objectum Medicinæ eſt animal ut ſanabile; finis verò directio hominis ad reſtituendam animali ſanitatem. Et ſic de cæteris.

QUÆSTIO VI.

De Nomine, & Exiſtentiâ Logicæ.

PRima hæc Philoſophiæ pars duplici præſertim nomine eſt inſignita, vulgò enim Dialectica, & Logica indiſcriminatim appellatur, Logica quidem à nomine græco, λογος, quod rationem, & ratiocinationem ſignificat. Dialactica verò à ſimili voce græcâ, quæ idem ſignificat ac colloquutio, vel diſceptatio; quod vocabulum Ariſtoteles ferè ſemper pro ſolâ parte topicâ, quæ docet rationem, vel modum diſſerendi ex probabilibus, uſurpavit. Quapropter majoris diſtinctionis gratiâ hanc primam partem Philoſophiæ ſemper Logicam appellabimus. Dialecticæ verò nomine Artem probabiliter de omnibus diſſerendi ſemper intelligemus, ut ſcientiam ab Arte diſtinguamus.

Logica igitur alia eſt naturalis, alia acquiſita, quæ vulgò dicitur artificialis; naturalis eſt ipſemet intellectus, ſeu ratio,

quâ prædicti homines de re quâlibet ratiocinantur. Acquiſita verò eſt habitus multarum demonſtrationum collectione compoſitus, qui aut ab aliis addiſcitur, aut longâ, & multiplici experientiâ, & profundâ meditatione comparatur. Cùm enim de re quâlibet benè, & malè, certò, & evidenter, aut probabiliter tantùm ratiocinari poſſimus, ut manifeſtum eſt; neceſſariò indigemus aliquâ ſcientiâ, quæ nos doceat quomodò certò, & evidenter poſſimus ſemper ratiocinari, ſi certò, & evidenter ratiocinari voluerimus. Hanc autem ſcientiam jam tradidimus; quàpropter an ea exiſtat dubitare nequaquam potes.

Objic. Potentia naturalis non indiget arte, aut ſcientiâ ad operandum, ut patet in viſu; ſed intellectus eſt potentia naturalis. Ergo non indiget ſcientiâ, vel directione ad operandum.

Reſp. diſt. maj. Potentia naturalis, quæ ita eſt determinata, ut non poſſit benè, & malè operari, non indiget arte, aut ſcientiâ ad operandum, Conc. potentia naturalis quæ poteſt benè, & malè operari, non indiget arte, aut ſcientiâ ad benè operandum, nego; ſic Optica dirigit potentiam viſivam, quæ pro variis defectibus variis quoq; indiget perſpiciliis, ut clarè, & diſtinctè percipiat objecta. Sic ad benè pſallendum dirigit Muſica, & ad benè ſaltandũ ars ſaltandi;

ſic denique intellectus, quia poteſt benè & malè ratiocinari, indiget ſcientiâ, quâ dirigatur ad benè ratiocinandum.

QUÆSTIO VII.

De Objecto Logicæ.

NUlla eſt quæſtio in Logicâ, quæ tantis ſit intricata difficultatibus. Tanta eſt enim circa objectum Logicæ diverſitas opinionum; ut enumerari ſine tædio vix poſſint. Alii enim res omnes eſſe objectum Logicæ affirmant, alii voces, ut Nominales; alii argumentationem, ut Albertus magnus; alii Syllogiſmum, ut Scotus; alii demonſtrationem, ut Simplicius; alii tres mentis operationes ut dirigibiles; alii denique ens rationis, ut Thomiſtæ. Cùm itaque nullum ſit objectum Logicæ certum, & evidens, ut patet ex tantâ opinionum varietate, totam Logicam corruere neceſſe eſt, & cum ipſa pariter omnes ſcientias.

Hinc manifeſtum eſt Logicam, quæ vulgò traditur non eſſe ſcientiam, ſed tantùm Dialecticam, ſeu artem probabiliter diſſerendi. Hinc quoque patet cur nulla ſit in totâ Philoſophiâ concluſio, quæ ſit verè certa, & evidens, ſed tantùm probabilis. Quàpropter maximè enitendum eſt, ut cer-

tum, & evidens Logicæ reperiatur objectum, ſine quo nihil unquam perfectè ſciri poteſt. Id autem ſic aggredior.

Suppono igitur pro certo, & evidenti, quod omnes omninò fatentur Philoſophi, Logicam, ſcilicet, dirigere intellectum ad omnes ſcientias perfectè acquirendas. Quamvis autem id nemo prorsùs concederet, manifeſtè nihilominùs probarem intentum hoc modo; ſcientiam igitur tradere propoſui, quæ intellectum dirigat ad omnes ſcientias perfectè acquirendas; vel quæ intellectum inſtruat omnibus cognitionibus neceſſariis; ad hoc ut omnes ſcientias perfectè poſſit acquirere, quam appellabo Logicam. Hic eſt finis, quem mihi propoſui. Hoc itaque ſuppoſito, quod nemo negare poteſt.

Certum, & evidens eſt, quod illa ſcientia, quam tradere volo, intellectum ad omnes ſcientias perfectè acquirendas dirigere nullo modo poteſt; niſi certò, & evidenter doceat. Primò quid ſit ens ſcibile, & quid non ſcibile, quæ ſint proprietates entis ſcibilis, quæ ſint ſpecies entis ſcibilis, & cujuſlibet ſpeciei definitionem, & proprietates; quid ſit ens ſcibile materiale, & proprietates illius, & ſpecies: quid ſit ens ſcibile formale, & ejus proprietates, & quotuplex ſit ſcibile formale de quolibet objecto materiali ſcientiæ. 2º.

Quid ſit ſcientia, & quid non ſcientia, quæ ſint proprietates ſcientiæ, quot ſint ejus ſpecies, & cujuſlibet ſpeciei definitionem, & proprietates, & quotuplex poſſit eſſe ſcientia de quolibet objecto materiali ſcientiæ. 3°. Quid ſit methodus ſcientiæ, & quæ ſint ejus proprietates. 4°. Quid ſit modus ſciendi, & proprietates illius, & ſpecies. 5°. Quæ ſint oppoſita entis ſcibilis, & ſcientiæ, modi ſciendi, & methodi ſcientiæ. Nam opoſitorum eadem eſt ſcientia, & oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt. 6°. Quid ſit impedimentum ſcientiæ, ſeu Sophiſtarum fallacia, & quotuplex, & quomodò removendum. His ergo ſuppoſitis tanquam certis, & evidentibus, certum eſt pariter, & evidens.

1°. Quod hæc ſcientia, quam tradere volo, hæc omnia, & ſingula certò, & evidenter demonſtrare debet; alioquin ea non diriget intellectum ad omnes ſcientias perfectè acquirendas.

2°. Quod ſcientia, quæ demonſtrabit hæc omnia certò, & evidenter, diriget intellectum ad omnes ſcientias perfectè acquirendas; & erit vera ſcientia.

3°. Quod objectum attributionis ſcientiæ eſt illud, ad quod referuntur omnia, quæ docentur in illa ſcientia.

4°. Quod omnia, quæ docere debet illa ſcientia, quam tradere volo, referuntur ad

ens ſcibile, ut ſcibile eſt. Undè certum pariter, & evidens eſt, quod objectum attributionis Logicæ ſit ens ſcibile, ut ſcibile eſt; & quod finis Logicæ ſit dirigere intellectû ad omnes ſcientias perfectè acquirendas, hùnc enim mihi finem propoſui :. atque ad hoc tendunt & referuntur omnia, quæ demonſtrat Logica, tanquam ad finem intentum.

Denique manifeſtum eſt, quod hæc omnia certò, & evidenter jam demonſtravimus in Logicâ; undè certum pariter, & evidens eſt, quod hanc ſcientiam jam tradiderimus. Cùm igitur hæc ſint evidentiſſima, quod nemo ſanæ mentis negabit, manifeſtum quoque eſt.

1°. Quod res omnes non ſint objectum Logicæ, quia res omnes latiùs patent, quàm ens ſcibile; neque enim res omnes ſcibiles ſunt, ut ſingularia contingentia; artefacta, quæ ſunt objectum rectæ rationis duntaxat, non ſcientiæ; atque ea omnia, quæ ſunt objectum fidei, vel Theologiæ ſupernaturalis.

2°. Quod voces non ſint objectum Logicæ, ut volunt Nominales; quia non ſunt Ens ſcibile, cum ex ſolâ hominum inſtitutione, vel beneplacito pendeant.

3°. Quod objectum Logicæ non ſit argumentatio ut vult Albertus magnus; neque Syllogiſmus, ut vult Scotus; neque

demonſtratio, ut vult Simplicius; neque modus ſciendi, ut affirmant alii; hæc enim omnia ad ens ſcibile referuntur, atque minùs latè patent, neque pòſſunt eſſe objectum attributionis; ſed tantùm objectum partiale.

4°. Quod tres mentis operationes, ut dirigibiles non ſint objectum Logicæ. Nam mentis operationes unico inſtanti permanent, neque dirigi poſſunt. Sed ſolus intellectus inſtrui poteſt cognitionibus; quibus dirigatur ad benè ratiocinandum, ut patet. Porrò directio intellectûs non eſt objectum Logicæ, ſed finis.

5°. Denique. Quod objectum Logicæ non ſit ens rationis, ut volunt Thomiſtæ; dicunt enim Thomiſtæ res cognitas eſſe objectum materiale Logicæ; illam verò diſpoſitionem Syllogiſmi, diviſionis, definitionis, ſubjecti, prædicati, & alia hujuſmodi, quæ vocant ſecundas intentiones, & entia rationis: quia non habent eſſe à parte rei, ſed in ipſis rebus conſideratis ab intellectu adinveniuntur, eſſe objectum formale Logicæ. 1°. Quia latiùs patent res omnes cognitæ, quam ens ſcibile, neque enim res omnes cognitæ ſunt ſcibiles. 2°. Quia objectum Logicæ eſt ens ſcibile reale, ut ſcibile eſt; ſed ens rationis non eſt ens ſcibile reale, Ergo non poteſt eſſe objectum ſcientiæ.

QUÆSTIO VIII.

Vtrum Logica ſit ſcientia, vel Ars.

QUamvis in præcedenti capite demonſtratum ſit Logicam eſſe ſcientiam, cujus objectum eſt ens ſcibile, ut ſcibile eſt; ſeu quæ entis ſcibilitatem demonſtrat; quia tamen non modica eſt controverſia inter Philoſophos, utrùm ea ſit ſcientia, vel ars, hæc paulò fuſiùs explicare neceſſe eſt. Alii enim eam eſſe ſcientiam affirmant ſimul, & artem impropriè tamen, vel lato modo, alii verò eam eſſe propriè artem, & impropriè ſcientiam. Sed ut verum fatear, valdè diſplicent illæ diſtinctiones inutiles, & ineptæ, quæ paſſim in libris reperiuntur, & quæ totam Philoſophiam Labefactarunt, ſcilicet, propriè, minùs propriè, impropriè, ſtrictè, ſtrictiùs, ſtrictiſſimè, latè, latiùs; latiſſimè. Similes enim diſtinctiones reſpondentis ignorantiam manifeſtè arguunt. Nam quotieſcumque rei naturam, de qua interrogantur quidam ignorant, ad hujuſmodi diſtinctiones confugiunt. Ita ut ſi quis probare nitatur Simiam eſſe hominem, nec poſſit reſpondens à propoſito argumento ſe expedire; reſpondebit ſtatim impropriè, & lato modo, concedo, propriè, nego.

Quàpropter conſulo tibi ut ab hujuſ-

modi diſtinctionibus abſtineas in æternùm, ſed potiùs veram rei definitionem quæras; quâ inventâ hujuſmodi diſtinctionibus non indigebis. Si enim v. g. definitio artis convenit Logicæ, Logica verè eſt ars; ſi verò ei non convenit artis definitio, non poteſt dici quod ſit ars, neque minùs propriè, neque latè, aut latiùs, aut latiſſimè; ſed nullo modo omninò ars dici poteſt: cùm eſſentiæ rerum ſint indiviſibiles. *Cui enim non convenit definitio, non convenit definitum*, ut manifeſtum eſt. Si autem Logica ſit ſcientia, impoſſibile eſt quod ſit ars ſimul. Nam ſcientia, & ars ſunt entia diverſa, ſeu diſparata, ut *Homo*, & *Leo*, *aurum*, & *ferrum*; impoſſibile eſt autem quod *homo* ſit *leo*, vel *aurum* ſit *ferrum* quocumque modo.

His ergo ſuppoſitis ſcientiæ, & artis definitiones proferre neceſſe eſt, & quæ definitio Logicæ conveniat demonſtrare; ut certum, & evidens ſit an Logica ſit ſcientia, vel ars. Sed priùs notandum quod hîc agitur non de ſcientiâ actuali, ſed habituali, ſeu de habitu ſcientiæ; quamvis utriuſque ſit eadem ratio.

Scientia *eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus*. Explicatur definitio. Scientia actualis *eſt cognitio certa, & evidens per demonſtrationem acquiſita*, ſeu ex principiis certis, & evidentibus deducta. Quandò

igitur aliquid certò, & evidenter cognoſco actualiter per demonſtrationem, illa cognitio dicitur ſcientia actualis, illa eadem cognitio quatenus remanet in intellectu, cui inhæret, ita ut eamdem cognitionem quotieſcumque voluero actualiter repetere poſſim; dicitur ſcientia habitualis, vel habitus ſcientiæ.

Ars verò definitur habitus effectivus per rectam rationem acquiſitus. Eſt igitur ars habitus, ſeu cognitio habitualis non per demonſtrationem; ſed per rectam tantùm rationem acquiſita, quâ dirigitur Artifex ad aliquid efficiendum. Undè manifeſtum eſt definitionem artis eſſe planè diverſam à definitione ſcientiæ. Quàpropter idem habitus ars ſimùl, & ſcientia eſſe non poteſt quocumque reſpectu.

Certum eſt igitur Logicam eſſe veram ſcientiam, quia eſt cognitio certa, & evidens entis ſcibilis, ut ſcibile eſt. Nam ex principiis certis, & evidentibus definitionem, & proprietates ſui objecti, atque eorum omnium, quæ ad ſuum objectum, ſeu ad ens ſcibile referuntur, vel ipſi opponuntur, demonſtrat, videlicet, quid ſcibile ſit, quotuplex ſcibile, quâ methodo, & quo modo ſcibile ſit, &c. Ac proindè impoſſibile eſt quod Logica ſit ars, quia ſcientia, & ars ſimul eſſe non potèſt.

Obj. 1°. Omnis ſcientia eſt de rebus, quæ

neceſſariò exiſtunt, ſed Logica non eſt de rebus, quæ neceſſariò exiſtunt; nam docet quomodò poſſit acquiri ſcientia, quæ non exiſtit, antequàm acquiratur; Ergo Logica non eſt ſcientia.

Reſp. Negando majorem, & minorem; non enim ſcientia eſt tantùm de rebus quæ neceſſariò exiſtunt, verùm etiam de rebus neceſſariò poſſibilibus, quarum neceſſaria poſſibilitas demonſtrari poteſt; neque Logicæ objectum eſt ſola dumtaxat neceſſaria poſſibilitas ſcientiæ, verùm etiam ens ſcibile ut ſcibile eſt, quod neceſſariò exiſtit in ſpecie, vel in individuo.

Inſt. Logica non ſolam demonſtrat poſſibilitatem ſcientiæ, diviſionis, definitionis, & Syllogiſmi, verùm etiam illorum eſſentiam & proprietates; ſed ſcientia, diviſio, definitio, & Syllogiſmus non exiſtunt neceſſariò: Ergo eorum, quæ neceſſariò non exiſtunt non ſola poſſibilitas, verum etiam eſſentia, & proprietates demonſtrari poſſunt; ac proinde poſſunt eſſe objectum ſcientiæ, aut Logica ipſa non eſt ſcientia.

Reſpon. Diſt. Min. ſcientia, diviſio, definitio, & Syllogiſmus non exiſtunt neceſſariò in individuo, concedo, in ſpecie, nego. Nam cùm homines neceſſariò exiſtant in ſpecie, neceſſarium eſt pariter quod Syllogiſmus exiſtat in ſpecie; idem dicendum

de diviſione, definitione, & ſcientiâ: & neg. conſeq.

Dicitur autem Syllogiſmus, aut ſcientia non exiſtere neceſſariò in individuo, id eſt, hic Syllogiſmus, vel hæc ſcientia in mente hujus hominis hodie, & in hoc loco. Dicitur verò exiſtere neceſſariò in ſpecie, quatenus neceſſarium eſt Syllogiſmum, aut ſcientiam exiſtere non hanc, vel illam, non in tali homine, non in tali loco, vel tempore determinato; ſed indeterminatè, ſine reſpectu ad locum, vel tempus determinatum. Sic homo neceſſariò exiſtit in ſpecie; quia neceſſarium eſt exiſtere homines, non tamen hos, vel illos, neque hîc, vel illic; neque hoc, vel illo tempore. Sic Roſa, ſic Eclipſis Lunæ neceſſariò exiſtit in ſpecie; quia neceſſarium eſt exiſtere roſas non tamen has, vel illas, nec in tali loco, nec in tali tempore, ſcilicet, hyberno, ſed indeterminatè. Unde cùm profertur illa propoſitio univerſalis (*Omnis roſa eſt flos*) intelligitur omnis roſa exiſtens indeterminatè, eſt flos, id eſt, in quâcumque temporis differentiâ exiſtat, eſt flos. Non ſola igitur poſſibilitas ſcientiæ acquirendæ, & Syllogiſmi conficiendi, tum diviſionis, & definitionis, eſt objectum partiale Logicæ; verùm etiam ſcientiæ, Syllogiſmi, diviſionis, & definitionis, neceſſariò exiſtentium in ſpecie, definitio, & proprietates ſunt objectum partiale

Logicæ: Quia Logica non ſolùm demonſtrat quomodò poſſit acquiri ſcientia,& confici Syllogiſmus, & fieri diviſio,& definitio: ſed etiam quid ſint, & quæ ſint eorum proprietates.

Obj. Secundò. Acquiſitio ſcientiæ non exiſtit neceſſariò, ſed finis Logicæ eſt acquiſitio ſcientiæ; Ergo finis Logicæ nòn exiſtit neceſſariò, ac proinde poteſt acquiri Logica ſine fine Logicæ.

Reſp. Neg. Min. Nam finis Logicæ non eſt acquiſitio ſcientiæ, ſed intellectûs directio ad acquirendas ſcientias; quæ directio intellectûs tam eſt neceſſaria Logicæ, quàm ipſa Logica. Cùm Logica non poſſit exiſtere ſine intellectûs directione.

Obj. Tertiò. Ariſtoteles videtur in pluribus locis Logicam ex Albo ſcientiarum expungere; ut cùm vocat Dialecticam *artem diſſerendi ex probabilibus*; cùm dicit alibi *abſurdum eſſe ſimul ſcientiam quærere, & modum ſciendi*: Ergo Logica non eſt ſcientia. Nam per modum ſciendi Logicam intelligit, quam ex parte totam denominat.

Reſp. Neg. Conſeq. Nam quamvis Dialectica rectè vocetur ab Ariſtotele ars diſſerendi, hinc malè concluditur quod Logica non ſit ſcientia; cùm Logica, & Dialectica ſint planè diverſæ: rectè etiam dicit abſurdum eſſe ſimul ſcientiam quærere, & modum ſciendi; Nam Logica non ipſam

rerum ſcientiam tradit, ut ſæpè diximus, ſed ſcibilitatem tantùm demonſtrat.

Obj. 4°. Ars eſt habitus cum rectâ ratione effectivus; ſed Logica eſt habitus cum rectâ ratione effectivus; quia ſcilicet dirigit intellectum ad conficiendum Syllogiſmum, diviſionem, & definitionem: Ergo Logica eſt ars.

Reſp. 1°. neg. conſeq. Quia argumentum non eſt in formâ cùm ſit in 2ª. figura, in quâ Concluſio, & altera præmiſſarum debet eſſe negativa.

Reſp. 2. diſt. minorem. Logica eſt habitus cum rectâ ratione tantùm effectivus, nego, cum demonſtratione, concedo, & neg. conſeq. Quamvis enim omnis demonſtratio ſit recta ratio, non tamen omnis recta ratio eſt demonſtratio, ut patet.

Obj. denique. Non implicat quod idem habitus ſit ſcientia, & ars diverſo reſpectu; Ergo Logica quatenùs docet modum probabiliter diſſerendi, poteſt eſſe ars, & quatenùs docet modum ſciendi poteſt eſſe ſcientia. Quod autem Logica ſimul doceat modum ſciendi, & modum probabiliter diſſerendi manifeſtum eſt, nam *Oppoſitorum eadem eſt ſcientia*.

Reſp. neg. ant. Idem enim habitus non poteſt poteſt eſſe ſimul ſcientia & ars; ſed Logica, & Dialectica ſunt habitus omnino diverſi. Nam Logicâ quatenùs docet

quid ſit Syllogiſmus probabilis, quæ ſint ejus proprietates, & quæ ſint ejus ſpecies, quid ſit medium probabile, & quotuplex; idque ex principiis certis, & evidentibus demonſtrat: eſt vera ſcientia, & habitus diſtinctus à Dialecticâ; quæ docet tantùm modum diſſerendi probabiliter nullâ adhibitâ demonſtratione. Sic poteſt quiſpiam diſcere praxim Medicinæ ſine demonſtratione, id eſt, ſine ſcientiâ practicâ Medicinæ; & praxim Muſicæ ſine ſcientiâ practicâ Muſicæ, ut ſolent Muſici, praxim denique Geometriæ ſine ſcientiâ practicâ Geometriæ: ſicut diſcunt quamplurimi praxim, & regulas Ethicæ ſine ſcientiâ practicâ Ethicæ. Hujuſmodi autem habitus non ſunt ſcientiæ, ſed artes.

QUÆSTIO IX.

Utrum Logica ſit ſcientia practica.

IN hoc conveniunt omnes Philoſophi quod Logica dirigat intellectum ad omnes ſcientias perfectè acquirendas. Utrum autem illa directio ſit cognitio practica, alii negant, ut Thomiſtæ, & Scotiſtæ, alii autem affirmant. Qui negant, dicunt quod cùm omnis actus intellectûs ſit eſſentialiter quædam ſpeculatio, is nunquam poteſt eſſe praxis; neque cognitio practica eſſe poteſt, niſi ad aliam potentiam ſe extendat, id eſt,

niſi

niſi aliam potentiam dirigat ab intellectu diſtinctam. Qui verò affirmant, dicunt quòd, cùm actus intellectûs, omnis v. g. ratiocinatio poſſit benè, vel malè fieri, ſi rectè fiat ſecundùm directionem Logicæ; ille actus, quatenùs procedit à cognitione dirigente, eſt praxis; non autem quatenùs reſpicit objectum, quod ſpeculatur; & cognitio dirigens eſt cognitio practica.

Concluſio. Logica eſt ſcientia practica. Hæc Concluſio ſequenti Demonſtratione probatur.

1°. Certum, & evidens eſt quòd objectum Logicæ ſit ens ſcibile, ut ſcibile eſt.

2°. Quòd Logica dirigat intellectum ad omnes ſcientias perfectè acquirendas.

3°. Quòd directio intellectûs ad omnes ſcientias perfectè acquirendas ſit finis Logicæ diſtinctus ab objecto illius.

4°. Quòd omnis ſcientia practica habeat finem ab objecto diſtinctum, & ideò ea non ſiſtit in contemplatione ſui objecti.

5°. Quòd omnis ſcientia ſpeculativa ſiſtit in contemplatione ſui objecti; & ideò nulla ſcientia ſpeculativa habet finem diſtinctum ab objecto.

Ergo certum pariter, & evidens eſt quod Logica ſit ſcientia practica, cùm habeat

finem ab objecto diſtinctum, nec ſiſtat in contemplatione ſui objecti; ſed ultra ſe extendat ad finem intentum dirigendo, ſcilicet, intellectum ad alias ſcientias acquirendas.

Confirmatur. Uſus mediorum ad finem aſſequendum eſt praxis, v. g. uſus cognitionum, quæ in Medicinâ demonſtrantur, ad conficiendum remedium & ad ſanitatem reſtituendam, quod nemo ſanæ mentis negabit. Nam vox (*uſus*) & vox(*praxis*) idem ſignificant: Ergo uſus mediorum, ſeu regularum à Logicâ præſcriptarum ad ſcientias acquirendas eſt praxis, ac proindè Logica eſt ſcientia practica. Quicumque enim vult ſciêntias acquirere, huic neceſſarius eſt uſus regularum, quas Logica præſcribit ad ſcientias acquirendas.

Obj. 1°. Cùm omnis actus intellectûs ſit eſſentialiter ſpeculatio, non poteſt exvere rationem ſpeculationis, & induere rationem praxis ex eò, quod dirigatur à Logicâ ad certiùs, & evidentiùs ſpeculandam veritatem, hæc enim perfectio non minuit, ſed auget rationem ſpeculationis, ut per ſe notum eſt; aqui actus intellectûs non diriguntur à Logicâ, niſi ut certiùs, & evidentiùs ſpeculentur veritatem, Ergo ex eò, quod dirigantur à Logicâ, non induunt rationem praxis, nec exuunr rationem ſpeculationis. Hæc eſt adverſariorum objectio

præcipua, atque totum fundamentum opinionis oppoſitæ.

Reſp. Hîc Syllogiſmus eſt merum Sophiſma, in quo latet æquivocatio in nomine ſcilicet *Speculationis*, & *praxis*; nullus enim actus cujuſcumque potentiæ eſt praxis quatenùs reſpicit objectum; ſed quatenùs dirigitur, vel procedit à cognitione dirigente. Sic actus fidei quamvis ſit actus intellectûs, & ſpeculatio veritatis, non deſinit eſſe praxis, quatenùs à cognitione dirigente procedit.

Reſp. Itaque in formâ diſt. maj. Actus intellectûs non poteſt exuere rationem ſpeculationis ex eò, quod dirigatur à Logicâ ad certiùs & evidentiùs ſpeculandam veritatem, concedo; non poteſt induere rationem praxis, id eſt, non poteſt eſſe ſpeculatio directa à Logicâ, nego. Illa enim rectitudo eſt praxis, quatenùs eſt à cognitione dirigente, neque ſpeculatio quatenùs competit actui intellectûs opponitur praxi in hoc ſenſu. Sic Phiſica etiam ſi reſpectivè ad ſuum objectum ſit ſcientia ſpeculativa, eſt tamen praxis reſpectivè ad Logicam, cujus regulis & demonſtrationibus utitur ad demonſtrandas ſui objecti proprietates. Sic denique Geometria eſt ſcientia practica, ut omnes ultrò fatentur; quamvis intellectum ad certiùs, & evidentiùs ſpeculandam veritatem dirigat; praxis enim Geometriæ eſt

uſus regularum, quas demonſtrat Geometria practica; ad cognoſcendam veram objectorum diſtantiam, & magnitudinem, ut manifeſtum eſt.

Dices actus intellectûs, v. g. Actus fidei non diriguntur à regulis morum, ut certiùs ſpeculentur veritatem; ſed tantùm ut benè & laudabiliter fiant, & ideò poſſunt deficere in ratione ſpeculationis, & induere rationem praxis.

Reſp. Fateris itaque quòd actus intellectûs ſit praxis, quando dirigitur ab Ethicâ ut benè, & laudabiliter fiat ſecundùm regulas morum; ſed ad hoc ut fiat v.g. Actus fidei ſecundùm regulas morum, non ſolùm Ethica non exigit ut exuat rationem ſpeculationis, quod implicat contradictionem: Cùm actus fidei ſit eſſentialiter ſpeculatio, ſed potiùs dirigit ad hoc, ut certiùs ſpeculetur objectum; Ergo arctus intellectûs poteſt eſſe ſimul ſpeculatio, & praxis; ac proindè ſi benè, & convenienter fiat ſecundùm regulas Logicæ ad ſcientias acquirendas eſt praxis, etiamſi non exuat rationem ſpeculationis.

Prob. min. Quòd ſcilicet Ethica non exigat, ut actus fidei exuat rationem ſpeculationis, ad hoc ut fiat praxis. Quia Ethica docet ad hoc ut actus fidei bene, & laudabiliter fiat, non ſolùm libere, & propter

gloriam Dei fieri debere, verùm etiam certò credendum Deo revelanti ſine ullâ prorſus dubitatione; ſine quâ certâ ſpeculatione non eſſet bonus, ſed malus moraliter, ut patet: Ergo Ethica non exigit ut actus fidei exuat rationem ſpeculationis ad hoc ut fiat praxis, & bonus moraliter, ſed potiùs dirigit ad hoc, ut certiùs ſpeculetur objectum, cùm in illâ certâ ſpeculatione bonitas moralis actûs fidei formaliter, & eſſentialiter ex parte conſiſtat, ut manifeſtum eſt.

Obj. 2°. Ex Ariſtotele, *Intellectus extenſione fit practicus*; Ergo ad hoc ut ſit practicus debet ſe extendere ad aliam potentiam.

Reſp. Quamvis Ariſtoteles id clarè diceret, non eſſet propterea ipſius authoritati poſtponenda veritas jam demonſtrata; quantò magis cùm illius verba ſint ambigua, quæ multiplicem patiuntur explicationem. Reſpondeo itaque, conceſſo ant. neg. conſeq. intellectus enim extenſione fit practicus, quando non ſiſtit in contemplatione ſui objecti, ſed ulteriùs extenditur ad finem intentum v. g. ad ſcientias acquirendas.

Obj. 3°. Ariſtoteles enumerando ſcientias practicas nullam fecit mentionem Logicæ; Ergo Logica non eſt ſcientia practica.

Reſp. Neque enumerando ſcientias ſpeculativas. Itaque ab authoritate negativâ nihil ſequitur.

Obijc. Denique. Vox illa ſcientiæ practicæ manifeſtam involvit contradictionem, nam objectum ſcientiæ eſt neceſſarium; quod autem ſub praxim cadit, eſt contingens, idque poteſt benè, vel malè fieri: Ergo Logica non eſt ſcientia, vel ſaltem non eſt ſcientia practica.

Reſ. Neg. Ant. Nam objectum ſcientiæ eſt verè neceſſarium, ſic objectum Logicæ eſt ens ſcibile, ut ſcibile eſt, quod eſt neceſſarium; finis etiam Logicæ eſt quid neceſſarium ipſi Logicæ, cùm ſit directio intellectûs ad omnes ſcientias perfectè acquirendas: per Logicam enim ita dirigitur, ſive inſtruitur intellectus, ut poſſit omnes ſcientias perfectè acquirere, nec poteſt Logica exiſtere ſine tali directione intellectûs. Quod autem ſcientias actualiter acquirat intellectus, eſt quid contingens Logicæ, nec eſt finis ejus proximus, ut patet.

QUÆSTIO X.

Utrum Logica acquiſita ſit ad Alias ſcientias acquirendas neceſſaria.

AD hujus quæſtionis explicationem, pro quâ acriter diſputant Philoſophi, tria priùs notanda ſunt.

Primum eſt, quod vulgò aliquid dicitur neceſſarium ad aliud acquirendum dupliciter, videlicet abſolutè, & ſimpliciter neceſſarium; & neceſſarium ſecundùm quid.

Abſolutè neceſſarium dicitur *ſine quo res haberi non poteſt.* Sic reſpiratio, & cibus ſunt abſolutè neceſſaria ad vitam conſervandam.

Neceſſarium ſecundùm quid, ſeu potiùs utile, *eſt illud, ſine quo res haberi quidem poteſt, ſed non ita facilè.* Sic equus eſt neceſſarius ſecundùm quid ad iter faciendum; veſtis, & domus ad vitam conſervandam.

Secundum, quod duplex eſt ſcientia, alia ſcilicet totalis, ut Phyſica, & Geometria, quæ ex multarum aggregatione ſcientiarum partialium componuntur. Alia partialis, ſeu ſpecialis alicujus entis ſcibilis putâ Syllogiſmi, vel circuli, aut trianguli.

Tertium quod dupliciter poteſt acquiri ſcientia, ſive partialis, ſive totalis, vel ſcilicet in ſtatu perfecto, vel in ſtatu imperfecto.

Acquiritur ſcientia in ſtatu perfecto quando certò, & evidenter, & ſine ullâ prorsùs dubitatione cognoſcuntur omnia, quæ de objecto ſive partiali, ſive totali ſcibilia ſunt. Ita ut quis ſit omninò certus ſe omnia ſcire quæ de tali objecto ſcibilia

ſunt; nec eſſe aliquid aliud de tali objecto ſcibile.

Acquiritur verò ſcientia in ſtatu imperfecto, quando aliqua, non tamen omnia, & ſingula, quæ de objecto ſcibilia ſunt, certò, & evidenter cognoſcuntur. Vulgò etiam dicitur acquiri ſcientia in ſtatu imperfecto, quando non certò, & evidenter, ſed probabiliter tantùm cognoſcuntur ea, quæ de objecto ſcibilia ſunt. Quamvis hæc non ſit ſcientia ſed opinio, ut manifeſtum eſt. His ſuppoſitis.

Dico primò. Logica acquiſita non eſt abſolutè neceſſaria ad ſcientias acquirendas in ſtatu imperfecto, ita ut quis earum cognitionem tantùm probabilem acquirat; quæ tamen cognitio non eſt ſcientia, ſed opinio. Quia ad hoc ſufficit Logica naturalis, ſeu ratio, quâ poſſumus de omnibus opinando ratiocinari.

Dico ſecundò. Logica acquiſita non eſt abſolutè neceſſaria ad aliquam ſcientiam ſpecialem putà circuli, vel trianguli, ubi non ſunt magnæ difficultates, in ſtatu imperfecto acquirendam; ita ut aliqua non tamen omnia certò, & evidenter cognoſcantur, quæ de circulo, vel triangulo ſcibilia ſunt: aut ſi omnia certò, & evidenter cognoſcantur, non tamen certò, & evidenter cognoſcatur non eſſe plura, neque pauciora ſcibilia de tali objecto. Quia ad hoc

etiam ſufficit Logica naturalis, neque de his ullum eſt dubium.

Dico tertiò. Logica acquiſita in ſtatu perfecto eſt abſolutè neceſſaria ad omnem ſcientiam, ſive totalem ſive ſpecialem in ſtatu perfecto acquirendam.

Probatur, & demonſtratur concluſio de ſcientiâ ſpeciali; ſi enim vera ſit de ſcientiâ ſpeciali, quantò magis de ſcientiâ totali.

Impoſſibile eſt quòd aliquis acquirat perfectam ſcientiam cujuſcumque entis ſcibilis v. g. circuli, vel trianguli, ſeu quòd certò, & evidenter cognoſcat, & ſine ullâ dubitatione omnia, quæ de circulo ſcibilia ſunt; niſi priùs certò, & evidenter cognoſcat quid ſcibile ſit, & quæ ſint ejus proprietates; & quotuplex ſcibile ſit de quolibet objecto materiali ſcientiæ, & quid non ſcibile; quid ſit ſcientia, & quotuplex poſſit eſſe ſcientia v. g. de circulo, quâ methodo, ſeu quo ordine acquiri poſſit, & quo medio; quid ſit modus ſciendi, ſeu Syllogiſmus demonſtrativus, & quotuplex, quid ſit Sophiſma, ſeu fallacia, & quotuplex, ad hoc ut dubia, quæ proponi poſſunt ſolvere queat; hoc eſt per ſe notum ſolo lumine naturali; Atqui ſola Logica in ſtatu perfecto acquiſita docet hæc omnia certò, & evidenter: Ergo impoſſibile eſt ſine Logicâ in ſtatu perfecto acquiſitâ cu-

juſcumque entis ſcibilis perfectam ſcientiam acquirere; ita ut certò, & evidenter cognoſcantur, & ſine ullâ prorsùs dubitatione omnia, quæ de ipſo ſcibilia ſunt; ac proindè vel ab aliis neceſſariò addiſcenda eſt Logica in ſtatu perfecto, vel propriâ induſtriâ priùs acquirenda; ſi quis voluerit ſcientiam in ſtatu perfecto acquirere.

Obj. Primò. Poteſt intellectus ſine Logicâ acquiſitâ Logicam ipſam acquirere, ergo & cæteras omnes ſine Logicâ acquiſitâ comparare; non enim eſt potior ratio de unâ, quàm de alterâ.

Reſp. Neg. Conſequens. Ratio eſt, quia Logica acquiſita nullam aliam ſcientiam præſupponit; ipſa enim eſt prima, ac cæteris ſimplicior; undè cæteræ omnes præſupponunt Logicam acquiſitam, cui neceſſariò ſubordinantur: ac proindè acquiri nequaquam poſſunt, niſi illa præcedat. Poteſt itaque acquiri primùm Logica in ſtatu imperfecto, deindè cæteræ ſcientiæ etiam in ſtatu imperfecto, poſteà multiplici experientiâ, ac frequenti meditatione poteſt quiſpiam aut per ſeipſum, modò fuerit præſtantiſſimi vir ingenii, Logicam in ſtatu perfecto acquirere, tum cæteras ſcientias, aut certè ab alio diſcere.

Obj. Secundò. Olim pueri Matheſim docebantur, & nunc plures eam addiſcunt antequam præceptis Logicæ imbuantur;

Ergo Logica non eſt neceſſaria ſaltem ad Matheſim.

Reſp. Diſt. Ant. Olim pueri addiſcebant & nunc etiam plures addiſcunt Matheſim ante Logicam in ſtatu imperfecto, concedo, in ſtatu perfecto, nego. Ut enim in ſtatu perfecto diſcatur, priùs noſſe oportet ea, quæ diximus eſſe neceſſaria, unde pueri illi non ſcientiam, ſed opinionem diſcunt.

Obj. Tertiò. Euclides ipſe perfectè didiſcit, atque docuit Matheſim, ut patet, antequàm Ariſtoteles Logicam doceret: Ergo ad has ſcientias comparandas nullius eſt uſus Logica Ariſtotelis.

Reſp. Concedo totum. Nam veram Logicam, atque evidentiorem, & certiorem Dialecticâ Ariſtotelis priùs didiſciſſe ab alio, vel propriâ induſtriâ ſibi priùs comparaſſe manifeſtum eſt. Cùm veræ Logicæ præcepta, & Regulas tam clarè, tam conſtanter obſervaverit, ſcilicet, methodum ſcientiæ, & modum ſciendi, & alia quæ ad Logicam pertinent, & quæ nos ipſi neceſſariò obſervanda demonſtravimus. Hæc enim perpetuò, & conſtanter obſervare non potuiſſet; niſi priùs vel ab alio didiſciſſet, vel propriâ, & multiplici experientiâ, atque longâ meditatione certò, & evidenter obſervanda cognoviſſet.

Hinc patet cur Mathematicæ ſcientiæ tam certæ, & evidentes ſint, cùm in reli-

quis Philoſophiæ partibus nulla fere ſit cognitio verè certa, & evidens. Quia videlicet in his Euclides veræ Logicæ præcepta ſervavit: dum Philoſophi Ariſtotelis Dialecticæ nimium confidunt. Quamvis, ut verum fatear, in demonſtrationibus Euclidis aliquando, leves tamen, reperiantur defectus; quod non aliundè eveniſſe certum eſt, quàm ex eò, quòd veram Logicam non omninò perfectè calluerit.

Ut quando probat quæ probatione non indigent, aut per medium ineptum, cùm v. g. probat duo latera trianguli eſſe majora reliquo; id enim ex ſolâ notione, ſeu definitione lineæ rectæ, quæ eſt omnium linearum, quæ inter duo puncta fieri poſſunt, breviſſima, evidenter innoteſcit; neque per aliud medium demonſtrari poteſt.

Similiter quando probat tantùm ab impoſſibili; hujuſmodi enim probationes, quibus probatur aliquid non per veram cauſam immediatam, vel per effectum immediatum; ſed ex abſurdo, quod ſequeretur, ſi hoc ita non eſſet, ſunt quidem neceſſariæ, ſed non evidentes; neque inde clariùs cognoſcitur objectum: & ideò veræ demonſtrationes non ſunt; ſi ſolæ dumtaxat adhibeantur. Hujuſmodi autem probationes paſſim reperiuntur in elementis Euclidis. Sic & in libris Mathematicorum, qui veram Logicam non didiſcerunt, non rarò Para-

logismi inveniuntur. Unde manifeſtum eſt Logicam in ſtatu perfecto acquiſitam ad omnes ſcientias perfectè acquirendas eſſe abſolutè neceſſariam, quod erat demonſtrandum.

QUÆSTIO XI.

De Logicâ Docente, Et Vtente.

DIviditur Logica acquiſita in docentem, & utentem, & quæritur an Logica docens, & utens ſint diverſi habitus, tum an Logica utens ſit ſcientia. Ut autem hæ duæ quæſtiones clarè explicentur Logicæ docentis, & utentis definitiones præmittendæ ſunt.

Prima. Logica Docens actualis *eſt ſcientia actualis, quâ intellectus certò, & evidenter novit quid ſcibile ſit, & quotuplex, quo modo ſcibile ſit, & quo medio, tum quâ methodo; ſeu quomodò dividendum; definiendum, & argumentandum ad hoc ut acquiratur ſcientia.* Ac proinde proprium Logicæ docentis eſt quòd ſit cognitio certa, & evidens dirigens intellectum ad inquiſitionem ſcientiæ, & facilem reddens ſcientiæ acquiſitionem.

Secunda. Logica docens habitualis *eſt facilitas, quæ remanet in intellectu ad eliciendas cognitiones actuales Logicæ docentis quoties, & quantùm opus eſt ad inquiſitionem, & acquiſitionem ſcientiæ.*

Tertia. Logica utens *eſt uſus, ſeu praxis Logicæ docentis*, Nam Logica utens, & uſus Logicæ idem ſignificant. Cùm igitur uſus in actu eſſentialiter conſiſtat, nam uti eſt aliquid agere actualiter; proprium Logicæ utentis eſt, quod ſit actualis ſcientiæ inquiſitio eo modo, quo docet, atque demonſtrat Logica docens inquirendam; ad hoc ut de facto acquiratur. His ergo ſuppoſitis, quæ clara ſunt, & evidentia. Sit.

Prima concluſio. Logica docens, & utens non ſunt diverſi habitus.

Probatur Concl. Logica utens eſt uſus Logicæ docentis, eſt actualis inquiſitio ſcientiæ, atque in quodam actu eſſentialiter conſiſtit, Ergo Logica utens non eſt habitus; ac proindè Logica docens, & utens non ſunt diverſi habitus.

Obijc. Primo, Etiamſi Muſica utens actualis, ſeu praxis Muſicæ docentis in quodam actu conſiſtat, ſicut Logica utens actualis; requiritur tamen alius habitus à ſcientiâ practicâ Muſicæ docentis diſtinctus, ut quis facilè utatur regulis Muſicæ docentis; Ergo à pari, etiamſi Logica utens actualis in quodam actu conſiſtat: requiritur prætereà Logica utens habitualis, quæ ſit habitus diſtinctus à Logica docente; ut quis facilè utatur regulis Logicæ docentis.

Reſp. Neg. Conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quia Muſica utens, ſeu praxis Muſicæ

docentis conſiſtit in exercitio alterius potentiæ ab intellectu diſtinctæ, nempè, in quibuſdam motibus linguæ, vel digitorum ad pulſanda organa, & mulcendas aures; quorum motuum habitum, ſeu facilitatem acquirere debet illa potentia; tum quòd finis Muſicæ docentis nihil aliud ſit, quàm ut per uſum, ſeu praxim, vel exercitium acquiratur ejuſdem exercitii habitus, quo facilè eaſdem cantilenas quis repetere poſſit, quoties voluerit: idem dicendum de Medicinâ, & aliis ſcientiis hujuſmodi practicis. Logica verò utens non conſiſtit in actu vel in exercitio alterius potentiæ ab intellectu diſtinctæ, neque finis Logicæ docentis eſt ut intellectus acquirat habitum, ſeu facilitatem utendi regulis Logicæ docentis, ſed potiùs ut per uſum Logicæ docentis acquirat novam ſcientiam à Logica diſtinctam, putà Metaphyſicam vel Phyſicam, quâ ſemel inventâ ceſſat inquiſitio ejuſdem ſcientiæ. Ac proindè fruſtra eſſet novus ille habitus Logicæ utentis.

Confirmatur. Quia ſi daretur in intellectu hujuſmodi habitus Logicæ utentis, nihil aliud eſſe poſſet, quàm quædam cognitio habitualis, quâ facilis redderetur inquiſitio, tum acquiſitio ſcientiæ, ut patet; atqui ſola Logica docens eſt cognitio habitualis, quâ facilis redditur inquiſitio, tum acquiſitio ſcientiæ; nam hæc ſola eſt cogni-

tio certa, & evidens entis ſcibilis, ut ſcibile eſt: Ergo præter Logicam docentem nullus datur alius habitus ad inquirendam, & acquirendam ſcientiam.

Obijc. Secundò. Ubi ſunt novæ difficultates ſuperandæ requiritur novus habitus, quo facilè ſuperari poſſint; atqui in variarum ſcientiarum inquiſitione novæ ſemper, & ingentes occurrunt difficultates ſuperandæ; Ergo ad ſcientiarum inquiſitionem novus præter Logicam docentem requiritur habitus.

Reſp. Neg. maj. Nam ſola Logica docens demonſtrat quomodò ſuperandæ ſint omnes difficultates in omnium ſcientiarum inquiſitione, Alioquin tot eſſent novi habitus Logicæ utentis neceſſarii, quot ſunt ſcientiæ ſpeciales; cùm quælibet ſpecialem habeat difficultatem, quod eſt abſurdum.

Obijc. Tertiò. Per actus multiplicatos generatur habitus, ſeu facilitas eorumdem actuum, Ergo per actus Logicæ utentis generatur habitus Logicæ utentis.

Reſp. Neg. Ant. Nam per actus multiplicatos generatur habitus, vel augetur & perficitur jam acquiſitus. Cùm igitur habitus Logicæ docentis ſit quædam facilitas repetendi cognitiones actuales, quæ ex naturâ ſuâ certò, & evidenter dirigunt ad inquirendam, & acquirendam ſcientiam; ne-

que poſſit actualiter inquiri ſcientia, niſi hujuſmodi cognitiones actuales Logicæ docentis actualiter repetantur: Hinc fit ut habitus Logicæ docentis augeatur, & perficiatur per actus Logicæ utentis, ſeu quod idem eſt, per uſum Logicæ docentis.

Inſtabis. Factâ demonſtratione in aliquâ materiâ determinatâ,& acquiſitâ jam ſcientiâ, remanet in intellectu deindè facilitas eamdem ſcientiam repetendi, atque eoſdem actus Logicæ utentis, per quos eſt acquiſita; Ergo datur habitus Logicæ utentis ab habitu Logicæ docentis diſtinctus.

Reſp. Neg. Conſeq. Nam facilitas illa ſcientiam jam acquiſitam repetendi non eſt habitus Logicæ utentis, ſed habitus ſcientiæ acquiſitæ per Logicam utentem. Facilitas autem repetendi eoſdem actus Logicæ utentis, per quos eſt acquiſita illa ſcientia, auget quidem habitum Logicæ docentis, à quo proceſſerunt illi actus; ſed non conſtituit habitum novum Logicæ utentis. Quia videlicet habitus ille novus Logicæ utentis, ſi daretur, eſſet habitus ad omnem ſcientiam acquirendam; cùm tamen habitus ille non ſit ad acquirendam ſcientiam, ſed facilitas dumtaxat repetendi actus, per quos jam eſt acquiſita talis ſcientia, & per quos non poteſt acquiri alia.

Secunda Concl. Logica utens non eſt ſcientia, ſed à Scientiâ procedit, atque

dirigitur, & per ipſam acquiritur ſcientia.

Hæc Concluſio eſt manifeſta ex his, quæ jam dicta ſunt. Nam Logica utens eſt uſus Logicæ docentis, quæ eſt ſcientia, & eſt inquiſitio ſcientiæ, per quam acquiritur ſcientia; inquiſitio autem ſcientiæ, vel uſus ſcientiæ, non eſt ſcientia, ut patet. In quâlibet nempè ſcientiâ v. g. In Phyſicâ, vel Metaphyſicâ duo conſideranda ſunt, videlicet, ſcientia ipſa acquiſita, & ipſius ſcientiæ inquiſitio. Nam ſicut intellectus non ſtatim acquirit ſcientiam, ſed multâ indiget inquiſitione præcedente; ita eodem modo traduntur ſcientiæ Omnes, priùs enim præmitti ſolet inquiſitio; deindè ſuccedit ſcientia ipſa, ſeu Concluſio demonſtrata. Inquiſitio igitur ſcientiæ non eſt ipſa ſcientia, ſed uſus, & praxis Logicæ docentis, per quam ſcientia acquiritur.

Ut autem manifeſtum ſit quomodò intellectus utatur Logicâ docente, atque ab ipſâ certò & evidenter dirigatur ad inquiſitionem, & acquiſitionem ſcientiæ; notandum quòd cùm intellectus per Logicam docentem ſciat quid, & quotuplex ſit ſcibile materiale, & quæ ſit generalis ſcientiarum methodus, ſeu quo ordine cujuſlibet rei ſcientia ſit inquirenda; quid, & quotuplex ſit ſcibile formale de quolibet objecto materiali ſcientiæ; tum quæ ſit methodus ſpecialis, ſeu quo

ordine unumquodque ſcibile formale demonſtrari poſſit quomodò objectum priùs dividendum, quomodò inquirenda ſit illius definitio, quo medio demonſtranda, quo item medio demonſtrandæ ſint proprietates, & in quâ Syllogiſmi figurâ fieri poſſit demonſtratio; iiſdem cognitionibus certis, & evidentibus utitur in ſcientiarum inquiſitione, eumdem videlicet ordinem tum generalem, tum ſpecialem obſervando, objectum priùs dividendo juxta præſcriptas à Logicâ docente regulas, deindè illius definitionem inquirendo, & medium legitimum, quo demonſtrari poſſit, illudque in formâ demonſtrationis adhibendo; ſicque à Logicâ docente actualiter dirigitur ad objecti cujuſcumque ſcientiam inquirendam, quam & de facto acquirit: ſi iiſdem cognitionibus benè utatur.

Obj. 1°. Poteſt eſſe aliquando materia, in quâ fieri poſſunt demonſtrationes ita difficilis, & abſtruſa; ut quando nitimur ex regulis Logicæ docentis eruere Concluſionem certam, & evidentem; opinionem tantùm eruamus; Ergo per Logicam utentem ſive per uſum Logicæ docentis non neceſſariò acquiritur ſcientia: ſed poteſt aliquando acquiri opinio etiam in materiâ neceſſariâ.

Reſp. Diſt. ant. Vel materia eſt ita difficilis, & abſtruſa, ut intellectus non poſſit

rectè applicare regulas Logicæ docentis, vel non eſt ita difficilis, ut regulas applicare non poſſit; ſi regulas Logicæ docentis applicare non poſſit; tunc non erit Logica utens, ſed dialectica utens; & ideò non mirum ſi ex eâ ſequatur opinio. Si verò regulas applicare poſſit, atque de facto applicet, impoſſibile eſt, ut non ſequatur ſcientia: tunc enim erit Logica utens: cujus proprium eſt ita ſcientiam inquirere; ut de facto acquirat. Alioquin Logica docens non doceret certò, & evidenter modum ſciendi, ſeu ſcientias acquirendi in ſtatu perfecto, contra propriam definitionem. Quod autem intellectus regulas Logicæ docentis applicare aliquando non poſſit; non oritur ex defectu regularum, ſed ex defectu ipſius intellectûs.

Obj. Secundò. Poſſunt rectè applicari media ad reſtituendam ſanitatem abſque eo, quod reſtituatur ſanitas; Ergo poſſumus uti regulis, & præceptis Logicæ docentis abſque eo, quod acquiratur ſcientia.

Reſp. neg. paritatem. Ratio autem diſparitatis eſt, quia corpus non eſt ſemper ſanabile, ut patet, ens autem ſcibile, ſemper, & neceſſariò ſcibile eſt.

Google

PARS QUARTA LOGICÆ.

TRACTATUS SECUNDUS.

In quo tractantur per ordinem quæſtiones quæ de tribus mentis operationibus proponi ſolent.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum in primâ mentis operatione poſſit eſſe falſitas.

HIc quæritur utrum in primâ apprehenſione poſſit eſſe falſitas, vel an prima apprehenſio ſit ſemper, & neceſſariò vera. Ut autem certam, & evidentem Concluſionem eruamus ad definitionem recurrendum eſt; ut in præcedentibus quæſtionibus; quod in omni difficultate obſervare prorſus neceſſarium eſt; cùm videlicet agitur de proprietatibus alicujus ſubjecti.

Definitiones.

1ª. Prima apprehenſio *eſt cognitio, quæ rem apprehendit, & repræſentat ſine affirmatione, vel negatione.*

2ª. Cognitio vera *eſt ea, quæ eſt conformis objecto,* ſeu quæ objectum repræſentat, ut eſt.

3ª. Cognitio falſa *eſt ea, quæ non eſt conformis objecto,* ſeu quæ objectum repræſentat aliter, quàm ſit.

Concluſio.

His ſuppoſitis dico primam apprehenſionem eſſe ſemper, & neceſſariò veram, ita ut ea falſa numquam eſſe poſſit; quòd certò, & evidenter demonſtratur hoc modo.

Omnis cognitio, quæ ſemper, & neceſſariò repræſentat objectum ut eſt, ſemper, & neceſſariò eſt vera; atqui prima apprehenſio ſemper, & neceſſariò repræſentat objectum, ut eſt: Ergo prima apprehenſio ſemper, & neceſſariò eſt vera.

Prob. min. Omnis cognitio, quæ repræſentat objectum nihil unquam addendo, aut detrahendo, ſemper, & neceſſariò repræſentat objectum ut eſt; ſed prima apprehenſio ſemper repræſentat objectum nihil unquam addendo, aut detrahendo; Ergo prima apprehenſio ſemper repræſentat objectum, ut eſt.

Prob. min. Omnis cognitio, quæ repræſentat objectum nihil de eo affirmando, aut

negando, nihil addit objecto, nec detrahit, ſed prima apprehenſio eſt cognitio, quæ repræſentat objectum nihil de eo affirmando vel negando, ut patet ex primâ definitione: Ergo prima apprehenſio nihil addit objecto; nec ab eo quidquam detrahit. Unde certum eſt & evidens primam apprehenſionem eſſe ſemper, & neceſſariò veram, quod erat demonſtrandum.

Obj. 10. Prima apprehenſio repræſentat Baculum in aquâ fractum, aliquando etiam nummum aureum pro cupreo, & turrim rotundam; quæ eſt quadrata; ſed Baculus non eſt fractus in aquâ, nec nummus cupreus aureus eſt, nec turris quadrata eſt rotunda: Ergo prima apprehenſio non repræſentat ſemper objectum ut eſt, ac proindè eſt aliquando falſa.

Reſp. In hoc objecto manifeſtum eſt duo eſſe, ſcilicet lumen refractum, & baculum; utrumque autem prima apprehenſio ſimul repræſentat baculum ſcilicet, & lumen refractum; nec affirmat baculum eſſe fractum; ſed hoc judicio relinquit utrum baculus ſit fractus, vel lumen. Quapropter in formâ.

Reſp, Diſt. maj. Prima apprehenſio repræſentat baculum ſimilem baculo fracto, Conc. repræſentat baculum fractum, neg. Et neg. Conſeq. Nam baculus in aquâ exiſtens habet reverà ſimilitudinem baculi

fracti. Idem dicendum de nummo cupreò, in quo eſt aliqua ſimilitudo nummi aurei; nam prima apprehenſio repræſentat nummum ſimilem aureo; utrum autem ſit nummus aureus, vel cupreus neque affirmat, neque negat; ſed hoc judicio relinquit.

Cùm verò prima apprehenſio turrim quadratam diſtantem repræſentat, quam non poteſt apprehendere niſi confusè; confusè quoque eam repræſentat, id eſt, non repræſentat angulos, quos in tali diſtantiâ apprehendere non poteſt; neque tamen eam eſſe rotundam affirmat; ſed hoc judicio relinquit. Prima itaque apprehenſio ſemper, & neceſſariò eſt vera; quia id totum, quod apprehendit verè repræſentat ut eſt; quamvis aliquando totum objectum non apprehendat.

Objic. Secundò. Qui diliculò videt canem, & ideam Lupi effingit, non repræſentat objectum ut eſt; Ergo prima apprehenſio falſa eſſe poteſt.

Reſp. Conceſſo ant. neg. conſeq. Nam prima apprehenſio nunquam repræſentat lupum pro cane; ſed repræſentat ſemper id, quod ei objicitur; & eo modo, quo objicitur in tali circumſtantiâ: v. g. animal quod aliquam habet lupi ſimilitudinem; nec tamen affirmat eſſe lupum, neque repræſentat lupum. Undè quando intellectus

tellectus effingit ideam lupi pro ideâ canis, non eſt tunc prima apprehenſio ; ſed judicium præceps, quod quidem, ut patet, judicat id, quod confusè repræſentat prima apprehenſio, eſſe lupum : & lupi ideam effingit.

QUÆSTIO II.

Vtrum Voces ſignificent res, vel Conceptus.

IN hac quæſtione variæ ſunt Philoſophorum opiniones, alii enim voces immediatè res ipſas ſignificare contendunt, & mediatè conceptus, alii immediatè conceptus, & mediatè res ipſas ; quæ concipiuntur. Nos autem res ipſas per voces ſignificari aſſerimus, atque eodem modo, quo per conceptus repræſentantur ; non tamen ipſos conceptus : niſi voces ad conceptus ſignificandos ſpecialiter deputatæ ſint, ut iſtæ voces, *Idea, Conceptus, propoſitio, Syllogiſmus*, & aliæ hujuſmodi. Cùm autem voces ſint tantùm inſtitutæ propter aliud, id eſt, ad ſignificandum, manifeſtum eſt noſtram concluſionem nullo modo demonſtrari poſſe, niſi à fine, propter quem inſtitutæ ſunt. Explicatur itaque ſimul, & demonſtratur Concluſio, quod ſcilicet voces ſignificent res ipſas prout variis ſubjiciun-

tur ideis, vel eodem modo, quo per conceptus repræſentantur; non tamen ipſos conceptus.

Si fieri poſſet, ut conceptus noſtros, vel ideas invicem immediatè perciperemus, non opus eſſet vocibus, ut invicem colloqueremur; ſed cùm ſimus corporei, atque omnis noſtra cognitio ducat initium à ſenſibus corporeis, qui ideas percipere nequaquam poſſunt: ideò neceſſe fuit, ut loco conceptuum voces ſubſtituerentur; ut idem omnino ſignificarent, quod ipſimet conceptus repræſentarent, & eodem modo, ſi immediatè perciperentur. Alioquin inutilis eſſet, ut patet, illa vocum ſubſtitutio, ſi conceptuum, vel idearum non fungerentur officio. Atqui certum, & evidens eſt quod in ipſo conceptu, ſi immediatè perciperetur, non ſolùm ipſe conceptus, verùm etiam res, quæ concipitur, & eodem modo, quo concipitur, vel diſtinctè, vel confusè, vel adæquatè, vel inadæquatè perciperetur. Nam ſicut in ſpeculo non ſolùm ipſum ſpeculum videtur, verùm etiam res ipſa, quæ per ſpeculum repræſentatur, & eo modo, quo repræſentatur: ita prorſus contingeret in conceptu, ut manifeſtum eſt.

Supponamus igitur modò ſpeculum ſubſtitutum fuiſſe loco ideæ, vel conceptûs; ita ut ſcilicet idem omninò repræſentet, &

eodem modo, quo ipſamet idea, vel conceptus illud repræſentaret; ſi immmediatè perciperetur. Hoc ita ſuppoſito certum eſt, & evidens quòd in ſpeculo res eadem repræſentaretur, & eodem modo, quo in ipſo conceptu, vel ideâ. Quàpropter res eadem videretur in ſpeculo, & eodem modo repræſentata, quo in conceptu, non tamen ipſe conceptus videretur, ſed ſpeculum, quod loco ideæ ſubſtitutum eſt. Quia non ampliùs in conceptu res ipſa videretur, ſed in ſpeculo, ut manifeſtum eſt.

Cùm igitur voces conceptuum loco ſubſtitutæ ſint, ut ſcilicet fungerentur officio conceptuum; atque idem omninò ſignificarent, & eodem modo, quo conceptus ipſi repræſentarent: ſi immediatè perciperentur; manifeſtum eſt voces non ipſos conceptus ſignificare, ſed res ipſas conceptas, & eodem modo, quo per conceptus repræſentantur. Quia non ampliùs in conceptu res ipſæ videntur, ſed in vocibus ſignificatæ percipiuntur. Quàpropter in formâ Concluſionem ſic probo.

Ad hoc tantùm inſtitutæ ſunt voces, ut fungerentur officio conceptuum, ut ſcilicet, idem omninò ſignificarent, quod per conceptus repræſentaretur, ſi immediatè percipi poſſent. Atqui conceptus nihil aliud repræſentant, quàm res ipſas diverſimodè

conceptas : Ergo voces nihil aliud ſignificant, quàm res ipſas, prout variis ſubjiciuntur ideis.

Hinc fit ut tot ſint nomina ejuſdem rei, quot variis ſubjicitur conceptibus, vel confuſis, vel diſtinctis, vel adæquatis, vel inadæquatis. Sic idem homo dicitur ſubſtantia, corpus, animal, rationalis, admirativus, &c.

Hinc quoque patet cur propoſitio mentalis ad hoc ut ſit vera, ſufficit ut ſit conformis objecto, ut eſt à parte rei; propoſitio autem vocalis vera eſſe non poſſit, niſi ſit conformis objecto, non ſolùm ut eſt à parte rei, verùm etiam ut repræſentatur in conceptu. Si enim non credat quis Angelos eſſe incorporeos, atque dicat, *Angeli ſunt incorporei*; erit hæc propoſitio falſa, quamvis ſit conformis objecto, ut eſt à parte rei. Quia, ſcilicet, non eſt conformis objecto etiam ut repræſentatur in conceptu; atque ita mentietur ille. Sed hæc ſunt manifeſta.

Quæritur utrum voces ſignificent naturaliter, vel ex inſtituto.

Reſp. Multi ſunt, qui ſe ignaros arbitrantur, niſi de re qualibet etiam evidentiſſimâ in utramque partem diſputare poſſint, quod certè ridiculum eſt: Hinc enim fit, ut non tam ſcientiam, quàm diſputationem quærant. Quàpropter ſæpè tem-

pus terere in ſolvendis difficultatibus, quas proponunt, neceſſe eſt; ut in præſenti quæſtione videre eſt. Cùm enim voces, quæ naturaliter ſignificant, omnibus hominibus naturaliter notæ ſint, tam voces ipſæ, quàm ea, quæ naturaliter ſignificant; ut vox ridentis, vox plorantis, aut lugentis, & aliæ hujuſmodi. Cæteræ, quæ ſignificant tantùm ex inſtituto, nulli prorsùs hominum notæ ſunt; neque ea, quæ ſignificant, niſi priùs earum ſignificationes quis didiſcerit. Sic voces earumque ſignificationes docentur infantes; ſic Itali gallicum idioma, & Galli italicum penitùs ignorant; niſi priùs didiſcerint. Voces autem plorantis, & ridentis ubique terrarum tam infantes, quàm alii norunt, ſive Galli ſint, aut Itali; neque enim opus eſt doctore in iis in quibus à naturâ ipsâ inſtruimur. Quamvis autem hæc evidentiſſima ſint.

Obij. Primò. Sapientis eſt nomina rebus imponere, ergo non ex hominum arbitrio, & temerè, ſed ex naturâ ipsâ nomina rebus imponuntur.

Reſp. Neg. Conſeq. Sunt enim quædam nomina primitiva, de quibus nulla ratio afferri poteſt; ab ipſis autem derivantur alia, quæ à ſapientibus aptè imponuntur rebus. Ut ſi quæras cur pileus dictus ſit pileus, nulla prorsùs ratio afferri poteſt; ex pileo autem pileatum aptè dixere ſapientes;

& ex Leone Leonina rabies dicitur. Ejuſdem verò naturæ ſunt nomina derivata cum iis, à quibus derivantur, ut manifeſtum eſt.

Obij. Secundò ex ſcripturâ. *Omne quod vocavit Adam ipſum eſt nomen ejus*, Ergo nomina, quæ Adamus impoſuit, naturaliter ſignificabant.

Reſp. Neg. Conſeq. Nam ſcriptura nihil aliud ſignificat, niſi quod nomina, quæ Adamus impoſuerat, adhuc tempore Moyſis perſtarent.

QUÆSTIO III.

De Propoſitione.

DE propoſitione jam ſatis egimus in libro ſecundo Logicæ, nunc quæ ſuperſunt, quæſtiones breviter abſolvemus. Prima eſt utrùm propoſitio mentalis ſit una tantùm qualitas, ſive unus tantùm conceptus ſimplex. Ut autem faciliùs Concluſio certa, & evidens eruatur, priùs juxta conſuetam methodum definitionem propoſitionis præmittemus.

Definitio.

Propoſitio mentalis *eſt judicium, quo intellectus unum eſſe aliud, vel non eſſe dijudicat*; ſive cognitio cum aſſenſu, quâ unum eſſe idem cum alio, vel non eſſe cognoſcit, & repræſentat. Hîc duæ definitiones inclu-

duntur, nempè, propoſitionis affirmativæ, & negativæ ſimul; Nam propoſitio in genere definitur, *Enunciatio, ſeu judicium de aliqua re*,

Proprium propoſitionis eſt, quod omnis propoſitio diverſis ideis componitur. Nam alia eſt idea ſubjecti, alia prædicati. Hoc patet in propoſitione negativâ, in quâ ſubjectum, & prædicatum ſunt res diverſæ. Patet etiam in propoſitione affirmativâ, nam quamvis prædicatum, & ſubjectum ſint una, & eadem res à parte rei; ſunt tamen ejuſdem rei diverſæ ideæ, ut manifeſtum eſt.

Concluſio. Omnis propoſitio ſive affirmativa, ſive negativa non eſt unus actus ſimplex, ſed compoſitus ex duobus actibus.

Probatur Concluſio. Omnis repræſentatio, quæ res diverſas, vel eamdem rem per diverſas ideas repræſentat, eſt compoſita; Atqui omnis propoſitio res diverſas, vel eamdem rem per diverſas ideas repræſentat: Ergo omnis propoſitio eſt compoſita ex duobus actibus.

Dices. Omnis propoſitio, quæ repræſentat res diverſas, vel eamdem rem per diverſas ideas, eſt compoſita objectivè, vel repræſentativè, concedo, entitativè, nego.

Sed contra. Non poteſt eſſe compoſita repræſentativè, niſi ea ſit entitativè compoſita; Nam omnis repræſentatio intellectûs eſt quædam modificatio realis, quædam

determinatio, ſeu actio ipſius intellectûs, hæc enim omnia idem ſunt; Ergo ſi propoſitio eſt compoſita repræſentativè, eſt etiam compoſita entitativè. Ac proindè propoſitio non eſt unus actus ſimplex, ſed compoſitus ex duobus actibus, quod erat demonſtrandum.

Obi. Primò. In uno, & eodem inſtanti non poſſunt eſſe plures actus in intellectu, ſed propoſitio unico tantùm inſtanti durat; Ergo propoſitio non eſt compoſita ex pluribus actibus.

Reſp. Primo. Neg. Mai. Nam juxta vulgatum Axioma *quidquid ſenſus ſentit anima intelligit*; omnis autem ſenſus plura ſimul objecta percipit, nam oculus plura ſimul videt objecta, auris multos ſonos harmoniæ ſimul percipit, palatum etiam plures ſapores ſimul, & ſic de cæteris: unde cùm oculus v. g. ſimul videt hominem, & canem, neceſſe eſt ut intellectus uno, & eodem inſtanti diverſas hominis, & canis ideas efformet; verùm quidem eſt quod eò magis confuſæ ſunt ideæ, quò plures ſimul exiſtunt; nam virtus diviſa debilior, *& pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.*

Reſp. Secundo. Neg. Etiam min. Nam propoſitio eſt judicium, quod quidem non uno inſtanti perficitur, ſed opus eſt ut ipſum cognitio, atque inquiſitio, & deliberatio præcedant. Quamvis autem aſſenſus

propoſitionis unico inſtanti duret, non tamen inde ſequitur Concluſio; ut patet ex primâ Reſponſione: maximè cùm detur prima apprehenſio compoſita ex duobus actibus, ſive duabus ideis, quando, videlicet, intellectus propoſitionem integram apprehendit ſine aſſenſu, vel diſſenſu. Hæc enim prima apprehenſio non eſt unus actus ſimplex, ſed compoſitus ex ideâ ſubjecti, & ideâ prædicati, ut patet.

Inſt. Propoſitio in ſolo aſſenſu, vel diſſenſu conſiſtit, Ergo eſt unus tantùm actus ſimplex.

Reſp. Neg. Ant. Propoſitio enim non eſt ſolus aſſenſus, vel diſſenſus, ſed eſt judicium, ſeu cognitio cum aſſenſu, vel diſſenſu, quæ cognitio includit eſſentialiter ideam ſubjecti, & ideam prædicati, quod ineſſe ſubjecto affirmatur, aut negatur.

Obj. Secundò. Diverſæ imagines in ſubjecto indiviſibili, & in quo nulla eſt latitudo, ſimul repræſentari non poſſunt; ſed intellectus eſt entitas indiviſibilis, in quo nulla eſt latitudo: Ergo diverſæ ideæ ſimul atque eodem inſtanti in eodem intellectu efformari non poſſunt.

Reſp. Diſt. Mai. Diverſæ imagines corporeæ non poſſunt repræſentari ſimul in ſubjecto indiviſibili, Conc. diverſæ ideæ ſpirituales non poſſunt eſſe ſimul in ſubjecto ſpirituali, & indiviſibili, neg. Et conceſsâ

minore negatur conſeq. Nam eadem eſt omninò proportio inter ideas ſpirituales, & ſubjectum ſpirituale, ac inter imagines corporeas, & ſubjectum corporeum, ut eſt oculus. Quamvis enim nullam habeat intellectus latitudinem corpoream, habet tamen quandam latitudinem, ſeu quantitatem virtutis, ut ajunt.

QUÆSTIO IV.

De Propoſitionibus Contradictoriis, & ſingularibus.

PRoprium eſt omnis propoſitionis eſſe veram, aut falſam. Nam cùm omnis propoſitio ſit affirmativa, vel negativa, ea non poteſt non eſſe vera, vel falſa. Vel enim affirmat quod eſt, aut negat quod non eſt, & eſt vera, ſeu conformis objecto; vel negat quod eſt, aut affirmat quod non eſt, & eſt falſa, ſeu difformis objecto.

Cùm itaque omnis propoſitio ſit neceſſariò vera, vel falſa; & contradictoria non poſſint ſimul eſſe vera; magna & ingens orta eſt controverſia inter Philoſophos, & difficilis quæſtio, multùmque agitata. Utrum videlicet ex duabus propoſitionibus contradictoriis & ſingularibus de futuro contingenti libero una ſit determinatè vera, & altera determinatè falſa. Hujuſmodi autem

propoſitiones ſunt v. g. Petrus cras peccabit, Petrus cras non peccabit.

Alii dicunt ante decretum Dei nullam eſſe determinatè veram, ut Thomiſtæ. Alii nullum habentes reſpectum ad decretum Dei, cùm reverà decretum Dei nullo modo lædat libertatem, nec tollat indifferentiam cauſæ liberæ, vel futuri eventûs contingentis liberi, dicunt unam eſſe determinatè veram, & alteram determinatè falſam, quod negat Ariſtoteles, & alii etiam.

In hac autem controverſiâ nihil eſt aliud, ut arbitror, quàm mera æquivocatio, ſicut & in multis aliis; Quapropter quantæ ſit neceſſitatis vitare in primis æquivoca ex præſenti quæſtione dignoſci facilè poterit: quod ut faciliùs aſſequamur, priùs ſtatum quæſtionis clarè proponere neceſſarium eſt.

Certum eſt itaque primò propoſitionem indeterminatam de futuro eventu libero eſſe neceſſariò veram, hujuſmodi autem propoſitio eſt (*Petrus cras peccabit, vel non*) alterutrum enim fieri neceſſarium eſt; quia ſcilicet contradictoria non poſſunt ſimul eſſe vera, nec ſimul falſa. Sed quia Petrus liber eſt ad peccandum, vel non, hinc nulla neceſſitas eſt, ut Petrus peccet; ſed poteſt ad libitum quodcumque voluerit facere, vel ſcilicet peccare, vel non peccare. Quæritur itaque utrum hæc propoſitio (*Petrus cras peccabit*) ſit determinatè vera, vel de-

terminatè falſa. Nam ex parte objecti certum eſt, ut jam diximus, quouſque Petrus ad unum ſe determinet, quod ſemper eſt indifferens ad quodcumque voluerit; neque ulla eſt in Petro neceſſitas peccandi.

Certum eſt ſecundò quod hîc non agitur de propoſitione vocali, quia non eſt propoſitio niſi æquivocè; cùm ea ſit tantùm ſignum propoſitionis, ut patet. Omnis enim propoſitio eſt actus intellectûs, neque propoſitio vocalis vera eſſe poteſt, niſi per ordinem ad propoſitionem mentalem, cujus eſt ſignum. Hujus autem diſtinctionis defectus æquivocationis, atque totius difficultatis fuit, ut arbitror, cauſa præcipua.

Certum eſt denique quod hîc non quæritur utrum Deus cognoſcat, vel in quo cognoſcat futura contingentia libera, eſt enim quæſtio prorsùs Theologica; neque de Prophetarum revelationibus hîc agitur, cùm ſit eadem quæſtio: Sed agitur de propoſitione mentali naturaliter exiſtente, vel poſſibili. Ubi notandum quòd nullus Philoſophorum dubitat utrùm ſit poſſibilis naturaliter propoſitio determinata de futuro contingenti libero, ſed omnes id præſupponunt; cùm nihil aliud inquirant, niſi an hujuſmodi propoſitio ſit vera, vel falſa: quod certè non mediocri admiratione dignum videtur. Si enim hujuſmodi propoſitio non ſit naturaliter poſſibilis; fruſtra torquentur Philoſo-

phi, atque inutiliter quærunt utrum ea ſit determinatè vera, vel falſa: quæ enim non exiſtit propoſitio neque vera, neque falſa eſſe poteſt, ut per ſe notum eſt. Ut autem me non leviter iſta dixiſſe manifeſtum ſit, hujuſmodi propoſitionem eſſe naturaliter impoſſibilem demonſtrare in animo eſt. Quo facto tota corruat ingens illa controverſia neceſſe eſt.

Definitiones.

Prima. Propoſitio mentalis indeterminata de futuro contingenti libero, eſt actus intellectus, quo judicio, ſeu cognoſco cum aſſenſu ex duobus contradictoriis de futuro contingenti libero alterutrum eſſe neceſſariò futurum indeterminatè.

Secunda. Propoſitio mentalis determinata de futuro contingenti libero eſt actus intellectûs, quo judico, ſeu cognoſco cum aſſenſu determinato ex duobus contradictoriis de futuro contingenti libero unum eſſe determinatè futurum, & alterum determinatè non futurum. Ut ſi cognoſcam, ſeu judicem futurum eſſe quod Petrus cras peccabit, & non futurum quod nôn peccabit.

Concluſio. Impoſſibilis eſt naturaliter omnis propoſitio determinata de futuro contingenti libero in ſingulari.

Probatur Primò. Impoſſibile eſt noſſe naturaliter ex duobus contradictoriis de futu-

ro contingenti libero quid ſit determinatè futurum in ſingulari, hoc evidentiſſimum eſt; atqui omnis propoſitio eſt cognitio, ut patet ex illius definitione; ergo impoſſibilis eſt naturaliter omnis propoſitio determinata de futuro contingenti libero in ſingulari.

Probatur Secundò. Intellectus evidentiſſimæ veritati non poteſt non aſſentiri, vel quod idem eſt contra evidentiſſimam veritatem aſſenſum præbere non poteſt, hoc certum, & evidens eſt; ſed ſi ex duobus contradictoriis de futuro contingenti libero in ſingulari unum determinatè futurum judicaret, evidentiſſimæ veritati non aſſentiretur, vel contra evidentiſſimam veritatem præberet aſſenſum: Ergo intellectus non poteſt judicare determinatè, & in ſingulari unum eſſe determinatè futurum, & alterum eſſe determinatè non futurum. Atque ita omnis propoſitio determinata de futuro contingenti libero in ſingulari eſt naturaliter impoſſibilis.

Probatur min. Evidentiſſimum eſt ac omnibus, & ſingulis hominibus notiſſimum ex duobus contradictoriis de futuro contingenti libero in ſingulari naturaliter non poſſe cognoſci quid ſit determinate futurum; Ergo ſi intellectus judicaret unum ex his eſſe determinate futurum, evidentiſſimæ veritati non aſſentiretur; vel contra evi-

dentiſſimam veritatem præberet aſſenſum.

Obj. Primò. Multi ſapientes viri præſertim politici multa cognoſcunt futura contingentia libera, ergo propoſitio hujuſmodi non eſt naturaliter impoſſibilis.

Reſp. diſt. ant. Multi ſapientes politici cognoſcunt multa futura contingentia libera in ſingulari, nego, in ſpecie, concedo, idque opinando, & conjiciendo. Omnis autem opinio, omnis conjectura eſt tantùm probabilis, dubia, incerta, atque indeterminata, nec eſt verus, atque determinatus aſſenſus, ut patet ex definitione opinionis.

Obj. Secundò. Ego volo dicere, & reverà dico determinatè quòd Petrus cras peccabit; nec quiſquam me impedire poteſt; Ergo datur naturaliter propoſitio hujuſmodi determinata.

Reſp. Ore dicis, non mente dicis; neque enim intellectus judicare determinatè poteſt quòd Petrus cras peccabit, cùm evidenter ſciat id cognoſci determinatè non poſſe. Hîc autem non agitur de propoſitione vocali, ut jam dictum eſt.

Obj. Tertiò. Deus novit ex duobus contradictoriis de futuro contingenti libero quid ſit determinatè futurum etiam in ſingulari; & multa hujuſmodi revelavit Prophetis. Ergo datur de futuro contingenti libero propoſitio determinatè vera.

Reſp. Ego ſcio Deum noſſe, & multa hujuſmodi revelaſſe Prophetis ſupernaturaliter, ſed quid indè? nunquid ad Logicum ſpectat de ſupernaturalibus diſputare? Memento quæſo antiqui illius adagii (*Ne ſutor ultra crepidam*) nemo itaque dubitat Deum noſſe omnia futura contingentia libera; atque hujuſmodi propoſitiones quas revelavit Prophetis eſſe determinatè veras. & ideò ſuper hoc nulla poteſt fieri quæſtio in Logicâ. De hoc autem eſt magna quæſtio in Theologiâ, in quo ſcilicet Deus cognoſcat futura contingentia libera; unde Philoſophi perperam ſumpſerunt occaſionem tractandi præſentem in Logicâ quæſtionem, quam nos ad Theologiam rejicimus. Hîc tamen aliqua omninò certa prælibare non erit inutile, præſertim cùm hac de re diſputare ſæpè contingat.

Certum eſt itaque primò Deum nullo modo eſſe cauſam cur Petrus peccabit. Secundò quòd Petrus nullam prorsùs habet neceſſitatem peccandi. Tertiò quòd ſuppoſitò quod Petrus liberè peccabit; Deus neceſſariò novit ab æterno Petrum peccaturum; quia nihil eſſe poteſt abſconditum ab oculis ejus.

Cùm itaque Deus non ſit cauſa cur Petrus peccabit, atque Petrus ſit ſemper liber ad peccandum, vel non peccandum, quoadusque ſe ipſum liberè determinet ad pec-

candum ; nulla poteſt eſſe in Deo propoſitio, ſeu cognitio quòd Petrus peccabit, quæ ſit abſolute , & antecedenter vera, ſed tantùm ex ſuppoſitione quòd Petrus liberè ſe determinet ad peccandum , & conſequenter ad hujuſmodi liberam determinationem. Nam, ut jam dictum eſt , non ideo Petrus peccabit , quia Deus novit , ſed ideo Deus novit , quia peccabit. Quibus ſuppoſitis facilis eſt ad omnes objectiones reſponſio.

Objic. Primò. Deus falli non poteſt , atqui Deus novit Petrum peccaturum , Ergo Petrus non poteſt non peccare. Alioquin Deus falli poſſet.

Reſp.Diſt. min. Deus novit Petrum peccaturum ex ſuppoſitione quòd liberè peccabit , & conſequenter ad talem ſuppoſitionem,concedo ; abſolutè , & antecedenter ad talem ſuppoſitionem, nego ; & nego conſequentiam.

Inſtabis. Deus novit Petrum peccaturum antecedenter,quàm Petrus ſe determinet ad peccandum:nam Petrus ſe determinat ad peccadum in tempore, & Deus novit ab æterno illum peccaturũ;Ergo nulla ſolutio.

Reſp. Diſt. ant. Deus novit Petrum peccaturum antecedenter , quàm ſe determinet , ideſt , præviſio Dei eſt antequàm Petrus ſe determinet, concedo,præviſio Dei eſt cauſa cur Petrus ſe determinet ad peccandum,neg. & nego conſeq.quantumvis enim

cognitio Dei præcedat tempore Petri determinationem ; dummodò ea non ſit cauſa talis determinationis : ſed potiùs libera Petri determinatio ſit tota ratio, cur Deus præviderit Petrum peccaturum ; benè ſequitur quod Petrus ſit liber ad peccandum, & quòd poſſit peccare, vel non peccare.

Inſt. Illud eſt impoſſibile quod ſi factum ſupponatur ſequitur abſurdum ; atqui ſuppoſitò quòd Deus præviderit Petrum peccaturum, ſi ſupponas Petrum non peccaturum, ſequitur abſurdum, nempè quod Deus falletur ; Ergo prævisione Dei poſitâ Petrus non poteſt non peccare.

Reſp. neg. ſuppoſitionem, cùm enim Deus non præviderit Petrum peccaturum, niſi ex ſuppoſitione quod Petrus liberè peccabit ; ſi tollas ſuppoſitionem quòd Petrus liberè peccabit : non poteſt ſtare ſuppoſitio quòd Deus præviderit Petrum peccaturum ; atque ita Deus falli non poteſt. Nam ſi ſupponas Petrum liberè peccaturum, id neceſſariò Deus novit ab æterno ; ſi verò ſupponas non peccaturum, id etiam neceſſariò Deus novit ab æterno.

Inſt. Suppoſitò quòd Petrus peccabit, & quòd Deus præviderit ipſum peccaturum, Petrus non poteſt non peccare ; Ergo non eſt liber ad peccandum, vel non peccandum etiam priuſquam ſe ipſum determinet ad peccandum.

Reſp. Diſt. Ant. Poſitò quòd Petrus peccabit & quod Deus præviderit ipſum peccaturum, Petrus non poteſt non peccare in ſenſu compoſito cum tali ſuppoſitione, concedo, in ſenſu diviſo à tali ſuppoſitione nego. Id eſt, ſi ſupponas Petrum peccaturum, non potes ſimul ſupponere ipſum non peccaturum: & nego conſequens. Cùm enim illa ſuppoſitio tota pendeat à libera determinatione Petri, ipſamque conſequatur, non poteſt illius libertatem tollere. Atque ita Petrus eſt ſemper liber abſolutè, & antecedenter quàm ſeipſum determinet ad peccandum.

Obj. 3°. Ex eò quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa, ſed ex duobus contradictoriis de futuro contingenti libero nullum eſt determinatè futurum; Ergo nulla datur propoſitio etiam in Deo determinatè vera de futuro contingenti libero.

Reſp. diſt. min. Nullum eſt determinatè futurum antecedenter ad liberam determinationem, concedo, conſequenter ad liberam determinationem, nego. Nam èx ſuppoſitione tantùm quòd Petrus liberè ſe determinabit ad peccandum, futurum eſt determinatè quòd peccabit. Undè illa futuritio peccati non eſt abſolutè futura determinatè, ſicut præviſio Dei non eſt abſoluta, ſed tantùm ex ſuppoſitione quòd Petrus

liberè ſe determinabit, quod Deum latere nequaquam poteſt. Sed de his ſatis, neque enim (ut jam diximus) hæc ad Logicam pertinent.

QUÆSTIO V.

De Reliquis Propoſitionibus.

OMnem propoſitionem eſſe neceſſariò veram aut falſam jam patet ex dictis initio præcedentis quæſtionis; quia tamen aliquæ ſunt propoſitiones ſpeciales, quæ non videntur neceſſariò veræ, aut falſæ propter ſpeciales difficultates, quas præſeferunt, ideo hujuſmodi difficultates explicare, atque objectiones ſolvere operæ prætium eſt.

Objicitur itaque Primò. Propoſitiones practicæ (cujuſmodi ſunt Sacramētales, quæ id efficiunt quod ſignificant) neque veræ ſunt, cùm nullum præſupponant objectum; neque falſæ, quia ſuum efficiunt objectum: Ergo non omnis propoſitio eſt neceſſariò vera, vel falſa.

Reſp. neg. ant. Neque enim ad veritatem propoſitionis requiritur ut præexiſtat objectum; ſed ſufficit ut eodem inſtanti, quo perficitur propoſitio exiſtat objectum: ad hoc ut ſit conformis objecto. Nam antequàm perficiatur, propoſitio non eſt.

Objic Secundò. Eadem propoſitio poteſt

tranſire de verà in falſam, ut hæc propoſitio (*Petrus ſedet*) vera eſt eo ſedente; & falſa cùm ſurrexerit. Hæc etiam (*Chriſtus naſcetur*) fuit vera tempore Prophetarum, modò verò falſa, cùm Chriſtus non ſit naſciturus: Ergo omnis propoſitio non eſt neceſſariò, ſed contingenter vera, vel falſa.

Reſp. neg. ant. neque, enim propoſitio vocalis aut ore prolata, aut ſcripto exarata eſt vera propoſitio, ſed tantùm æquivoca (ut ſæpè jam dictum eſt) cùm nihil aliud ſit quàm ſignum propoſitionis mentalis, quæ eſt vera propoſitio; neque propoſitio vocalis vera eſſe poteſt niſi per ordinem ad propoſitionem mentalem. Cùm igitur propoſitio mentalis unico inſtanti exiſtat, ea non poteſt tranſire de vera in falſam; ſed pro eo inſtanti, quo eſt, ea eſt neceſſariò vera, vel falſa. Similes igitur propoſitiones vocales (*Chriſtus morietur*) (*Chriſtus naſcetur*) ſemper veras eſſe neceſſe eſt; quia non poſſunt intelligi, niſi per ordinem ad propoſitiones mentales, quarum ſigna ſunt, & quæ veræ fuerunt pro eo inſtanti, quo extiterunt.

Objic. Secundò. Propoſitiones illæ, quæ falſificæ, & inſolubiles dicuntur, nec veræ ſunt, nec falſæ; ut ſi quis dicat, *mentior*, cùm nihil aliud dicat, illa propoſitio non poteſt eſſe vera, neque falſa; quia ſi falſa eſſet, ſimul eſſet vera, nam verum

erit quod mentietur. Aliud etiam affertur exemplum de homine, cui pontis cuſtodia fuit demandata ea lege, ut eos omnes, & ſolos, qui falſum dixerint, in flumen proijciat. Nam ſi quis occurrat, qui dicat cuſtodi, *tu me in flumen projicies*; ſi falſum dicit, erit proijciendus: ſi verò proijciatur verum dixerat, neque fuit proijciendus.

Reſp. In his, & ſimilibus propoſitionibus ſemper ad propoſitionem mentalem eſt recurrendum; Quapropter primus, qui dicit, *mentior*, vel intelligit quòd falſum jam dixerit, & eſt falſa propoſitio; cùm nihil priùs dixerit: vel intelligit quòd dicendo, *mentior*, reverâ mentiatur; cum tamen nihil aliud dicat, & eſt etiam falſa. Secunda verò non eſt propoſitio, ſed oratio imperfecta, quæ non gignit perfectum ſenſum, hic enim nihil aliud intendit quàm involvere, & implicare animum audientis.

QUÆSTIO VI.

De Syllogiſmo.

DE Syllogiſmo quæri poteſt primò Utrum ſit unus tantùm actus intellectûs, ſive una qualitas. Secundò utrum illius præmiſſæ effectivè generent ſcientiam. Tertiò utrum aſſenſus præmiſſarum neceſſitet intellectum ad aſſenſum Concluſionis. Hæc au-

tem breviter abſolvemus tribus ſequentibus Concluſionibus.

Prima Concluſio : Syllogiſmus non eſt unus tantùm actus, ſed triplex, ut patet ex ipſius definitione. Nam Syllogiſmus *eſt oratio tribus conſtans propoſitionibus, quarum tertia ex duabus præcedentibus neceſſariò eruitur.* Vel ratiocinatio, ſeu diſcurſus, quo intellectus ex duabus cognitionibus præcedentibus tertiam eruit. Manifeſtum eſt itaque Syllogiſmum non eſſe unum actum ſimplicem intellectûs, ſed triplicem.

Obijc. Eadem eſt diſcursùs ad judicium, quæ judicii ad ſimplicem apprehenſionem ratio. Nam ſicut judicium præſupponit diſtinctas ſubjecti, & prædicati ideas, quas uno actu conjungit, ita diſcurſus præſupponit quidem præmiſſas; non tamen ex ipſis componitur, ſed in judicio tantùm illativo conſiſtit, ſeu in ipsâ Concluſione: Atqui judicium eſt unus tantùm actus intellectûs, Ergo & diſcurſus.

Reſp. Neg. Min. Jam enim demonſtravimus judicium non eſſe unum actum ſimplicem, ſed compoſitum; Quaproptèr negatur Conſeq. Nam ſicut judicium, cùm ſit unio prædicati mentalis cum ſubjecto mentali, eſſentialiter includit ideam prædicati ſimul, atque ideam ſubjecti, ex quibus componitur; ubi enim eſt unio, ibi neceſſariò eſt unitorum compoſitio, ut patet. Ita

quoque Syllogiſmus includit eſſentialiter propoſitionem illatam, ſeu Concluſionem, & propoſitiones ex quibus infertur Concluſio; neque concipi ullo modo poteſt ſolam concluſionem eſſe Syllogiſmum. Unde Syllogiſmus vocatur diſcurſus; quia intellectus diſcurrit à primâ præmiſsâ ad ſecundam, & à præmiſſis ad conſequentiam.

Secunda Concluſio. Syllogiſmi præmiſſæ non generant effectivè ſcientiam; cùm enim ſcientia ſit cognitio certa; & evidens, omnis autem cognitio ſit actus intellectûs; manifeſtum eſt quod produci efficienter nullò modo poſſit, niſi ab intellectu. Quia verò cognitio præmiſſarum Intellectui repræſentat objectum, cui diſſentiri non poteſt; ideò aſſenſus præmiſſarum dicitur concurrere ad aſſenſum Concluſionis, ſive ad generationem ſcientiæ; non quòd actum ſcientiæ producat; cùm unus actus alium producere nequaquam poſſit: ſed quòd intellectui repræſentat objectum circa quod intellectus actum ſcientiæ neceſſariò elicit. Nam reverâ intellectus à cognitione præmiſſarum ſe ipſum movet ad cognitionem Concluſionis. Quapropter aſſenſus præmiſſarum concurrit ad generationem ſcientiæ non efficienter, ſed formaliter, & per modum objecti. Sed hæc ſunt manifeſta.

Tertia Concluſio. In demonſtratione poſito aſſenſu præmiſſarum intellectus non poteſt

poteſt diſſentire Concluſioni, vel aſſenſum Concluſionis ſuſpendere. Quamvis enim omnis aſſenſus ſit voluntarius, aſſenſus tamen Concluſionis, poſito aſſenſu præmiſſarum, non eſt liber, ſed neceſſarius.

Prob. Concl. Intellectus neceſſariò fertur ad verum in univerſali, ſicut voluntas fertur ad bonum in univerſali, ita ut nec voluntas odire bonum clarè cognitum ut bonum, aut amare malum clarè cognitum ut malum ullo modo poſſit: nec intellectus aſſentiri falſo clarè cognito, nec diſſentire verò etiam clarè cognito. Nunquam enim voluntas fertur ad malum, niſi ſub ratione boni, quando, videlicet bonum apparet; nec intellectus aſſentitur falſo, niſi ſub ſpecie veri, quando, ſcilicet, illud ut verum apprehendit. Hoc multiplici patet experientiâ, neque ullus eſt, qui id experiri non poſſit. Atqui ex præmiſſis demonſtrationis neceſſariò ſequitur concluſio evidenter vera, ergo poſtquàm intellectus aſſentitur præmiſſis, neceſſariò aſſentitur concluſioni.

Confirmatur ab impoſſibili. Quia in verâ demonſtratione aſſenſus præmiſſarum eſt idem implicitè cum aſſenſu concluſionis; atque ita, ſi intellectus poſito aſſenſu præmiſſarum poſſet diſſentire concluſioni, vel aſſenſum concluſionis ſuſpendere: ſimul eidem aſſentiri, & non aſſentiri poſſet, quod manifeſtam involvit contradictionem.

Obijc. Omnis aſſenſus à voluntate pendet, ſed voluntas eſt libera, Ergo poteſt ad libitum aſſenſum Concluſionis cohibere.

Reſp. Diſt. Min. Sed voluntas eſt libera ad aſſentiendum vero obſcurè cognito concedo, ad aſſentiendum vero clarè cognito nego; & nego conſequentiam. Nam Concluſio demonſtrationis eſt evidenter vera, atque clarè proponitur ut vera in ipſis præmiſſis.

Pro hujus quæſtionis corollario placet hîc apponere quaſdam Concluſiones certas, & evidentes, quæ ex demonſtratione jam factâ neceſſariò eruuntur. Ex eò enim quòd intellectus neceſſariò feratur ad verum in univerſali, & voluntas ad bonum in univerſali, neceſſariò, & evidenter ſequitur.

Primò. Quod intellectus in nullo particulari vero, ſed tantùm in Deo, qui eſt ſumma, & univerſalis veritas, in quo, & per quem ſunt omnia vera; nec voluntas in ullo particulari bono, ſed tantùm in Deo, qui eſt ſumma, & univerſalis bonitas, in quo, & per quem ſunt omnia bona, quieſcere poſſint. Hinc dixit Deus Moyſi (*oſtendam tibi omne bonum*) & Divus Auguſt. *Juſſiſti Domine, & ſic factum eſt, ut inquietum ſit cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

Secundò. Quòd hæc motio, ſeu præmotio ſive intellectûs ad verum, ſive voluntatis ad bonum ſit prior naturâ omni actu libe-

ro; cùm ea ſit neceſſaria, & univerſalis; prius eſt enim neceſſarium libero,& univerſale particulari.

Tertiò. Quòd hæc promotio non poteſt eſſe niſi à Deo immediatè, à quo eſt intellectûs, & voluntatis natura, ut patet, cùm nulla poſſit eſſe alia cauſa; nec tendere niſi ad cognitionem ſummæ veritatis per cognitionem creaturarum, & ad infinitæ bonitatis amorem.

Quartò. Quòd illa præmotio eſt illuminatio, quâ Deus omnipotens illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; & per quam cognoſcimus omne verum, quod cognoſcimus; & volumus omne bonum, quod volumus.

QUÆSTIO VII.

De Scientia.

CUm ſcientia ſit effectus Syllogiſmi demonſtrativi, abſolutis jam Syllogiſmi quæſtionibus, quæ de ſcientiâ vulgò proponuntur difficultates explicare videtur methodo ſcientiæ conſentaneum. Hîc ergo quæritur utrum ſcientia totalis ſit una tantùm ſimplex qualitas,ſive unus tantùm ſimplex habitus intellectûs, ut volunt Thomiſtæ; an potiùs habitus ex multis demonſtrationibus compoſitus, ſeu ſcientiis partialibus, quæ unam totalem ſcientiam con-

ſtituunt unitate ordinis, ſeu relationis. Erit igitur.

Concluſio. Scientia totalis non eſt una ſimplex qualitas, ſed habitus ex multis demonſtrationibus compoſitus. Quæ Concluſio ut clariùs demonſtretur ab iis, quæ certa ſunt incipiendum eſt.

Certum eſt itaque primò. Quòd nulla ſcientia differt ab aliâ ratione ſcientiæ, ſeu quatenùs eſt ſcientia. Cùm cuilibet ſcientiæ eadem definitio conveniat, quatenùs eſt ſcientia, ſcilicet, quod ſit cognitio certa, & evidens ex principiis certis, & evidentibus deducta. Hinc certum eſt pariter quod quælibet ſcientia differt ab alia per ordinem ad objectum, cùm nihil aliud ſit, per quod differat una ab aliâ eſſentialiter. Nam reſpectus ad objectum eſt de eſſentiâ ſcientiæ; & quælibet ſcientia eſt eſſentialiter alicujus objecti ſcientia. *Scientia* igitur eſt genus, in quo conveniunt omnes ſcientiæ, *Reſpectus* verò ad objectum ſpecie diſtinctum eſt id, per quod quælibet ſcientia ſpecie differt ab alterâ. Tot ſunt itaque neceſſariò ſcientiæ ſpecie diverſæ, quot ſunt objecta ſcientiæ ſpecie diverſa, ut patet.

Secundò. Objectum ſcientiæ aliud eſt materiale, aliud formale. Materiale *eſt illud, de quo aliquid demonſtrari poteſt*. Formale eſt duplex, aliud dicitur formale *quod*, & eſt illud, quod de alio demonſtrari poteſt: aliud

dicitur formale *quo* & eſt ratio formalis, ſub *quâ*, ſeu modus ſub *quo* conſideratur objectum materiale. Objectum v. g. materiale Logicæ eſt ens, formale *quo* eſt ſcibile, nam Logica non conſiderat ens, ut ens eſt, ſed ut ſcibile eſt; formale *quod* eſt quidquid demonſtrari poteſt de ente ſcibili, ut ſcibile eſt, ſcilicet natura, proprietates, ſpecies, principia, & alia oppoſita entis ſcibilis, ut ſcibile eſt.

Tertiò. Quodlibet objectum cujuſcumque ſcientiæ ex tribus prædictis objectis partialibus eſſentialiter componitur; ita ut quocumque ex his mutato, non ſit idem objectum, neque eadem ſcientia. Hinc Logica differt à Metaphyſicâ, & hæc à Phyſicâ per objectum formale *quo*; nam Logica conſiderat ens, ut ſcibile eſt; Metaphyſica ens ut ens eſt: Phyſica verò ens corporeum, naturale, ut naturale eſt. Quælibet etiam ſcientia partialis ad eamdem ſcientiam totalem reducitur, ſub cujus ratione formali ſuum objectum conſiderat: ut ſcientia, quæ quantitatem continuam conſiderat ut naturalis eſt; ad Phyſicam reducitur.

Omnes quoque ſcientiæ partiales, quæ unam ſcientiam totalem componunt, diverſum habent objectum materiale; atque diverſum objectum formale *quod*. Nam v.g. modus ſciendi, & methodus ſcientiæ, diviſio, & definitio ſunt diverſa, ut patet, obje-

cta materialia; eorum quoque naturæ, & proprietates ſunt diverſa objecta formalia; Ergo ſcientiæ partiales ſunt ſcientiæ ſpecie diverſæ, diverſique habitus. Ac proindè ſcientia totalis non eſt unus ſimplex habitus: Ut manifeſtum eſt.

Confirmatur. Quia objectum attributionis, à quo ſuam unitatem deſumit quælibet ſcientia totalis, non eſt unum unitate ſpecificâ; neque etiam genericâ. Cùm enim oppoſitorum eadem ſit ſcientia: Oppoſita verò, ſcilicet, contradictoria, & privantia, atque relativa quædam, ut cauſæ aliquæ, non ſint ejuſdem generis, manifeſtum eſt objectum attributionis ſcientiæ non eſſe unum, nequidem unitate genericâ, ſed tantùm unitate ordinis, ſeu relationis. Sic objectum attributionis Logicæ, eſt ens ſcibile, ad quod, ſcilicet, referuntur omnia, quæ tractantur in Logicâ: objectum attributionis Metaphyſicæ eſt ens creatum, ad quod referuntur omnia, quæ tractantur in Metaphyſicâ. Ideò objectum attributionis definitur id, ad quod referuntur omnia, quæ in aliquâ ſcientiâ tractantur; atque ſcientia totalis dicitur una unitate ordinis, ſeu relationis: quâ multæ ſcientiæ referuntur ad unam ſcientiam totalem; quæ ſcilicet ex multis ſcientiis partialibus, atque ſpecie diverſis componitur; objectum itaque attributionis ſcientiæ non eſt genus univo-

cum, ſed analogum, id eſt, habet quamdam ſimilitudinem generis, non naturam, & proprietates.

Quod autem dicunt Thomiſtæ ſcientiam acquiri integram cùm prima demonſtratio perſpecta habetur; ita ut ſcientia jam acquiſita per primam demonſtrationem per novas demonſtrationes extendi, vel intendi ſoleat; non nova qualitas effici, gratìs omninò dicitur. Cùm enim una demonſtratio poſſit exiſtere ſine aliâ, manifeſtum eſt eam non eſſe cum illâ unam ſimplicem qualitatem, ſed eas eſſe realiter diſtinctas.

Objic. Primò. Scientia eſt una ſimplex qualitas, quæ ſuas omnes concluſiones ſub eâdem ratione formali, & per idem principium demonſtrat; ſed quælibet ſcientia totalis omnes ſuas concluſiones ſub eâdem ratione formali, & per idem principium demonſtrat: Ergo quælibet ſcientia totalis eſt una ſimplex qualitas, non multarum demonſtrationum complexio.

Reſp. 1°. neg. maj. Nam dato etiam quod omnes concluſiones per idem principium demonſtrarentur, & ſub eâdem ratione formali genericâ, non eſſent tamen una, & eadem ſcientia ſpecie, ſed plures. Ad hoc enim ut ſint ſcientiæ diverſæ ſpecie ſufficit, ut ſit diverſum ſpecie objectum materiale, vel formale *quod*, vel utrumque ſimul. Cùm

O iv

ſcientiæ omnes ſint diverſæ ſpecie per ordinem ad objectum, ut jam demonſtratum eſt: neque enim ſcientia magnetis eſt ejuſdem ſpeciei cùm ſcientia hominis, aut leonis, ut per ſe notum eſt; quamvis utraque ad Phyſicam ſpectet.

Reſp. 2o. Neg. etiam minorem. Nam quælibet concluſio demonſtrari non poteſt, niſi per propria principia nec hominis proprietates demonſtrari poſſunt per idem principium, quo demonſtratur ferri durities, aut vitri frangibilitas; ſed aliæ concluſiones demonſtrantur ab effectu proprio, & immediato: quædam à causâ propriâ, & immediatâ; quædam à fine, aliæ denique ab objecto. Sic demonſtravimus, ſcientiam eſſe unam, vel diverſam per ordinem ad objectum, voces quoque ſignificare res ipſas, prout variis ſubjiciuntur ideis, à fine inſtitutionis.

Objic. Secundò. Oculus eſt una tantùm potentia, fides quoque infuſa eſt unus & ſimplex habitus, licet multa habeat objecta diverſa; Ergo ſcientia eſt unus ſimplex habitus, quamvis ea ſit de multis objectis diverſis.

Reſp. Nos non loqui de potentiâ naturali, neque de habitu infuſo, qualis eſt fides divinitùs infuſa, ſed de habitu per actus acquiſito, qualis eſt ſcientia acquiſita; & ideò diſting. ant. fides infuſa eſt unus ſim-

plex habitus, Conc. fides ſupernaturalis per actus repetitos acquiſita eſt unus ſimplex habitus, licet multa habeat objecta, nego. Ratio eſt, quia fides infuſa inclinat intellectum ad credenda pariter omnia, quæ Deus revelavit Eccleſiæ ſub generali tantùm motivo, nempè quia credendum eſt quidquid Deus revelavit; fides autem per actus ſpecie diſtinctos acquiſita inclinat intellectum ad credenda ſpecialiter quædam objecta ſpecie diſtincta propter ſpecialia motiva, quæ ſub motivo generali tanquam ſpecies ſub genere continentur.

Ut autem iſta clariùs intelligantur notandum quod, cùm aliquis circa unum objectum fidei putà Sacramentum Euchariſtiæ actum fidei producit, ac ſæpius repetit; non ſolùm remanet in ejus intellectu certitudo circa Sacramentum Euchariſtiæ, ſed etiam facilitas ad ſimiles actus in poſterùm producendos: Et in hoc conſiſtit habitus fidei acquiſitus, ſcilicet in certitudine circa idem objectum, & in facilitate ſimiles actus producendi. Si verò ſe offerat aliud objectum fidei cum novâ & ſpeciali difficultate credendi, ut plerúmque contingit; manifeſtum eſt quod is indiget novum habitum per actus repetitos circa novum objectum acquirere: ut faciliter ſimiles actus circa illud objectum in poſterùm elicere poſſit; & ſimiliter de quolibet objecto fi-

dei, ubi ſe offert aliqua ſpecialis difficultas credendi. Undè manifeſtum eſt, quod fides acquiſita non ſit unus ſimplex habitus circa multa objecta.

Idem prorsùs de ſcientiâ dicendùm eſt. Nam quotieſcumque de aliquo objecto fit demonſtratio: ut ſi demonſtretur hominem eſſe rationalem, non ſolùm remanet in intellectu certitudo, & evidentia circa idem objectum; ſed etiam facilitas ad ſimilem demonſtrationem efficiendam, & reiterandam; in quo conſiſtit habitus ſcientiæ; atqui certitudo & evidentia, quæ remanent in intellectu circa hominis rationalitatem, & facilitas eumdem actum ſcientiæ reiterandi, non ſunt certitudo, & evidentia alteriùs objecti, nec facilitas demonſtrandi aliquid de alio objecto, ut patet; maximè cùm nullum ſit objectum ſcientiæ ſine aliquâ ſpeciali difficultate; Ergo quot ſunt objecta partialia ſpecie diverſa in aliquâ ſcientiâ totali, tot ſunt etiam ſcientiæ partiales ſpecie diverſæ, diverſique habitus, ex quibus componitur ſcientia totalis. Quod erat demonſtrandum.

QUÆSTIO VIII.

De Objecto Scientiæ.

DE objecto ſcientiæ jam ſatis pluribus in locis egimus, id unum ſupereſt explicandum quid ſit objectum ſcientiæ per ſe; quid verò objectum ſcientiæ per accidens, quod in prædicamentis non reponitur.

Ens aliud eſt complexum, aliud incomplexum. Ens incomplexum eſt omnis ſubſtantia, & omne accidens, quod in prædicamento reponitur. Proprium eſt entis incomplexi quod ſit per ſe ſcibile, atque verà, & eſſentiali definitione definiri poſſit, ſive illud ſit ſubſtantia, ſive ſit accidens.

Ens complexum eſt omne ens concretum ex ſubſtantiâ, & accidente, ut quantum, quale, &c. vel aggregatum per accidens ex multis ſubſtantiis, & multis accidentibus; ut Populus, Civitas, Regnum, Reſpublica, Domus, Familia, Horologium, &c.

Proprium eſt entis complexi quod per ſe ſcibile non ſit, ſed tantùm per accidens, atque per ea, ex quibus accidentaliter componitur. Propterea qui ſcit quid eſt ſubſtantia, & quid eſt quantitas; ex eo præciſè ſcit quid eſt quantum, & quæ ſint pro-

prietates quanti: ſcilicet quod omne quantum eſt ens per ſe exiſtens diviſibile, menſurabile, æquale, vel inæquale. Similiter quod omne album eſt ens per ſe exiſtens diſgregativum luminis, & visûs, ex eò præcisè quod ſcit quid eſt ſubſtantia, & quid eſt albedo. Quàpropter nullum ens complexum ponitur in prædicamento, quia per ſe ſcibile non eſt, ſed tantùm per accidens, ſeu per ſcientiam accidentis, neque definiri poteſt, niſi definitione per accidens, id eſt definitione accidentis.

Omne itaque ens incomplexum eſt per ſe ſcibile, ſive ſit ſubſtantia, ut *homo*; ſive ſit accidens, ut *albedo*; atque de ipſo ſciri poteſt que ſit ejus eſſentia, & proprietates.

Omne verò ens complexum eſt ſcibile per accidens. Ut *homo albus*, nam *homo* inquantùm *homo* eſt per ſe ſcibile, & inquantùm albus eſt ſcibile per accidens, ſcilicet, per albedinem. Ita ut ſcientia hominis albi, inquantùm albus eſt, non ſit alia ſcientia præter ſcientiam albedinis. Quia nimirum non poteſt ſciri quod homo ſit albus, id enim eſt objectum ſensûs, non ſcientiæ; nam contingens eſt hominem eſſe album. Poteſt autem ſciri quid eſt albedo; unde manifeſta eſt ratio cur ens complexum non ponatur in prædicamento: quia videlicet non conſtituit ſcientiam diſtinctam à

ſcientiâ entis incomplexi ſubſtantiæ nimirum, & accidentis, quæ ſunt per ſe ſcibilia.

Quotieſcumque igitur definiuntur entia moralia, quæ ſunt entia complexa, & aggregata per accidens, ea definiuntur per accidens, id eſt, definitur dumtaxat ipſum accidens, quod eſt ens incomplexum, ſcilicet, unitas moralis, & relativa, quæ multis entibus completis contingit v. g. multis hominibus. Sic definitur exercitus, *multitudo hominum ſub uno imperatore militantium.* Sic definitur populus, *multitudo hominum ſub eodem magiſtratu viventium.* Sic denique definitur regnum, multitudo populorum uni Regi parentium. Undè vides in his omnibus definiri dumtaxat unitatem relativam, & accidentalem multorum hominum.

Idem itaque ens poteſt eſſe complexum, & incomplexum; in prædicamento reponi, atque ab eo rejici; eſſe objectum ſcientiæ, & non eſſe ſub diverſa conſideratione. Si enim conſideretur populus ut homines multi ſimul congregati, tunc populus eſt ens complexum, quod neque in prædicamento reponi, neque ſcientiæ objectum eſſe poteſt: contingens eſt enim hominibus quod ſint multi ſimul congregati. Si verò conſideretur unitas illa moralis, & relativa ad unum magiſtratum, quæ advenit multis,

hominibus ſimul congregatis; tunc unitas illa eſt ens incomplexum, quòd in prædicamento reponitur ut verum ſcientiæ objectum. Sed de his ſatis.

QUÆSTIO ULTIMA.

Vtrum ſcientia, fides, & opinio ſimul eſſe poſſint in eodem intellectu circa idem objectum.

HÆc quæſtio variè proponitur à Philoſophis. Primò enim quæritur utrum actus ſcientiæ, fidei, & opinionis ſimul eſſe poſſint in eodem intellectu circa idem objectum. Secundò utrum eorumdem actuum habitus ſimul eſſe poſſint. Tertiò utrum habitus ſcientiæ ſimul ſtare poſſit cum actu fidei, vel opinionis, & viciſſim. Nos autem brevitati conſulentes hæc omnia ſimul diſcutiemus, præſertim cùm omnium ſit eadem ratio; atque demonſtrabimus nullo modo ſtare poſſe ſcientiam cum fide, & opinione in eodem intellectu circa idem objectum. Quia verò hæc concluſio demonſtrari nequaquam poteſt niſi per definitionem & proprietates contrariorum; priùs ſcientiæ, fidei, & opinionis, atque contrariorum definitiones exhibere opere pretium eſt.

Definitiones.

Prima. Scientia actualis *eſt cognitio certa, & evidens ex principiis certis, & evidentibus actualiter deducta.*

Secunda. Scientia habitualis, ſeu, habitus ſcientiæ *eſt certitudo, & evidentia, quæ relinquuntur in intellectu ab actuali ſcientia circa idem objectum; & facilitas eumdem actum ſcientiæ reiterandi.*

Proprium ſcientiæ ſive actualis, ſive habitualis, eſt reddere intellectum omninò certum, & evidentem; atque ab eo omnem incertitudinem, & obſcuritatem circa idem objectum expellere. Alioquin ſcientia non eſſet eſſentialiter certa, & evidens cognitio, ut patet.

Tertia. Opinio actualis *eſt cognitio dubia, & obſcura ex principiis incertis, & inevidentibus, ſeu per media incerta, & obſcura actualiter deducta.*

Quarta. Opinio habitualis *eſt illa incertitudo, & obſcuritas, quæ relinquuntur in intellectu ab opinione actuali circa idem objectum, & facilitas ſimilem actum producendi.*

Proprium opinionis eſt, ſive actualis, ſive habitualis illa ſit, reddere intellectum dubium, & obſcurum; atque ab eo expellere omnem certitudinem, & evidentiam circa idem objectum. Alioquin ea non eſſet eſ-

ſentialiter cognitio incerta, & obſcura. Ut perſpicuum eſt.

Quinta. Fides ſupernaturalis actualis *eſt cognitio certa, & obſcura ex principiis, ſeu mediis certis, & obſcuris actualiter deducta.*

Sexta. Fides ſupernaturalis habitualis eſt illa certitudo obſcura, quæ relinquitur in intellectu à fide actuali, & facilitas ſimilem actum producendi circa idem objectum.

Proprium fidei, ſive actualis, ſive habitualis illa ſit, eſt reddere intellectum certum, & obſcurum atque ab eo expellere omnem incertitudinem, & evidentiam circa idem objectum. Alioquin, ut manifeſtum eſt, ea non eſſet eſſentialiter certa, & obſcura cognitio.

Septima. Contraria ſunt *quæ ſub eodem genere vel mediato, vel immediato maximè diſtant.*

Proprium contrariorum eſt quod ſe mutuò expellant ab eodem ſubjecto.

His ſuppoſitis tanquam certis, & evidentibus certum eſt pariter; & evidens quod omnes illi actus, & habitus ſunt ſibi invicem contrarii, ut patet ex eorum definitionibus. Sunt enim ſub eodem genere cognitionis, cùm omnes ſint cognitiones ſive actuales, ſive habituales, &

circa idem objectum, & ab invicem maximè diſtant. Nihil enim magis diſtat à certitudine quàm incertitudo, & ab evidentiâ quàm obſcuritas. Scientia autem eſt eſſentialiter certa, & evidens; opinio incerta, & obſcura; fides verò certa, & obſcura; Ergo nec earum actus, nec earum habitus ſimul eſſe poſſunt in eodem intellectu circa idem objectum. Proprium enim contrariorum eſt quod ſe mutuò expellant ab eodem ſubjecto, cui proindè ſimul ineſſe nequaquam poſſunt. Idque evidenter confirmatur ex prædictis, ſcientiæ, fidei, & opinionis proprietatibus.

Confirmatur etiam ab impoſſibili. Idem intellectus non poteſt de eodem objecto ſimul eſſe certus & dubius, evidens, & obſcurus; alioquin contradictoria ſimul eſſent vera. Nam ſi eſſet ſimul certus, & dubius, evidens, & obſcurus, ſimul eſſet certus, & non certus; evidens, & non evidens. Atqui ſcientia reddit intellectum certum, & evidentem, opinio incertum, & obſcurum, fides certum, & obſcurum: Ergo ſi poſſent ſimul eſſe in eodem intellectu circa idem objectum, contradictoria poſſent ſimul eſſe vera.

Reſpondent adverſarii. Diſt. Mai. Idem intellectus non poteſt eſſe ſimul certus; &

dubius per idem medium, Conc. Per diverſa media, negatur.

Sed hæc reſponſio eſt manifeſta petitio principii, idem enim eſt ac ſi diceretur non poteſt eſſe certus, & dubius per ſcientiam; ſed poteſt eſſe certus, & dubius per ſcientiam, & opinionem. Nam medium ingreditur definitionem opinionis, quæ eſt cognitio per medium incertum, ſeu probabile tantùm deducta. Tota enim ratio cur opinio ſit incerta, & obſcura, ac proindè contraria ſcientiæ, eſt quia per medium incertum, & obſcurum deducitur; cùm ſcientia per media certa, & evidentia deducatur.

Prædicta reſponſio ſequenti planè ſimilis eſt, undè manifeſtum fiet eam eſſe prorsùs ineptam. Si enim dicerem, idem ſubjectum non poteſt eſſe ſimul calidum, & frigidum; & reſponderet quiſpiam per idem medium, Conc. Per diverſa media, neg. Nonne, hæc eſſet prorsùs inepta reſponſio; Quamvis per aliud medium acquireretur frigus, ſcilicet, per aquam; & per aliud medium acquireretur calor, ſcilicet, per ignem. Sicut per aliud medium acquiritur opinio, per aliud ſcientia, & per aliud fides. Medium enim per quod acquiritur calor debet ſimul frigus expellere; ut calorem introducere poſſit: ita medium, quo acquiritur ſcientia, opinionem neceſſariò expellere debet, & econtrà; cùm ſupponantur eſſe contraria.

Objic. Primò. Actus fidei, ſcientiæ, & opinionis nullo modo ſunt oppoſiti ſive quoad eſſentiam propoſitionis; ſive quoad proprietates. Neque enim quod fides affirmat, id negat opinio, vel ſcientia, ut ſupponitur; nec inter ſe pugnant ut ſcientia, & error: neque quod una ſit propoſitio univerſalis, & alia particularis; Ergo cùm nullam habeant inter ſe oppoſitionem, ſimul eſſe poſſunt.

Reſp. Neg. Ant. Jam enim clarè demonſtravimus illos actus eſſe inter ſe contrarios eſſentialiter; cùm eorum definitiones, & proprietates ſint contrariæ. Nihil enim magis contrarium eſt evidentiæ quàm obſcuritas, & certitudini quàm incertitudo ſeu dubium. Quamvis itaque illi actus non ſint oppoſiti penes affirmationem, & negationem; ſunt tamen oppoſiti ex parte principiorum, ex quibus deducuntur: & penes affirmandi modum, quæ oppoſitio eſt contraria. Nam ſcientia, certò & evidenter affirmat quod fides certò, & inevidenter, & opinio incertò, & obſcurè affirmant.

Objic. Secundò. Qui alicujus concluſionis habet ſcientiam, poteſt eamdem concluſionem ratione probabili cognoſcere; non quod dubitet de concluſionis veritate: nam prior demonſtratio omnem dubitationem formalem ſuſtulit; ſed dubitat de conne-

xione medii probabilis cum ipsâ concluſione : Ergo &c.

Reſp. Concedo totum. Nihil enim contra nos, aliud eſt enim dubitare de connexione medii cum ipsâ concluſione ; & aliud prorsùs dubitare de ipsâ concluſione : ut manifeſtum eſt. Neque illud dubium erit de eodem objecto, ſeu de eadem concluſione, de quâ ſupponitur priùs facta demonſtratio.

Obijc. Tertiò. Ex ſcripturâ ubi Dominus noſter JESUS-CHRISTUS Dixit divo Thomæ, *quia vidiſti me Thoma credidiſti*, Ergo ſimul eſſe poſſunt evidentia, ſeu viſio, & fides, ſeu inevidentia ejuſdem objecti.

Reſp. Conceſſo Ant. Neg. Conſeq. Aliud enim vidit divus Thomas, & aliud credidit ; vidit nempè carnem Chriſti : & credidit Dominum Deum ſuum in carne reſurrexiſſe ; ſic enim ait, *Dominus meus, & Deus meus*.

Inſt. Ergo fruſtra dixiſſet Chriſtus, *Beati qui non viderunt, & crediderunt*, ſi viſio, & fides ejuſdem objecti ſimul eſſe non poſſent.

Reſp. Neg. Subſumptum. Nam fruſtra id Chriſtus non dixit, licet viſio, & fides ſimul eſſe non poſſint ; reverà enim beati ſunt: qui licèt carnem Chriſti non viderint ; crediderunt tamen Chriſtum in carne veniſſe.

Objic. Quartò. Si fides, & ſcientia ſimul eſſe non poſſint, deterioris erit conditionis Chriſtianus Philoſophus, qui ſcit Deum exiſtere per demonſtrationem, & minoris meriti, quàm ſimplex Chriſtianus, qui idem credit per fidem; ſed hoc videtur abſurdum, Ergo & illud undè ſequitur.

Reſp. Neg. Sequelam majoris. Meritum namque fidei non tam ab extenſione, quàm ab intenſione deſumitur; ſi ergo fuerit utriuſque fides æqualis in intenſione, erit pariter æquale utriuſque meritum.

Cæterùm pro hujus quæſtionis Corollario, atque totius Logicæ Coronide, in æternùm memento quòd, cùm verùm non poſſit vero eſſe contrarium; nulla vera ſcientia fidei ſupernaturali poteſt eſſe contraria; ita ut una affirmet, quod negat altera. Omnia enim, quæ fides docet non ſolùm vera, ſed etiam certiſſima ſunt. Quàpropter ſi aliquando occurrat demonſtratio alicui articulo fidei Catholicæ contraria; quamtùmvis ea tibi videatur certa, & evidens: falſam tamen eſſe ne dubitaveris. Fidei namque certitudo omnem ſcientiarum omnium certitudinem longè antecellit: Multis nempè naturaliter obnoxius erroribus intellectus humanus ſæpè falſa pro veris, apparentia pro certis, & obſcura pro evidentibus ultrò amplectitur. Quòd multis etiam præſtantiſſimis viris ſæpè contingere, atque

olim ſæpiſſimè contigiſſe quotidianâ docemur experientiâ. Sed finem Logicæ tandem imponamus ad majorem Dei gloriam, cujus inſpiratione cœptum arduum opus, ac difficillimum non ſine humili, atque frequenti in tantis, quæ paſſim occurrunt, difficultatibus, auxilii divini invocatione ad finem uſque feliciter perduximus.

FINIS.

THESES.

Quæ Logicæ ideam generalem exhibent.

PHilosophia eſt ſcientia rerum omnium, quæ naturali lumine ſciri poſſunt. Primò parenti à Deo fuit infuſa, temporum lapſu, ac hominum incuriâ penè deletam ex parte reſtituerunt præſtantiſſimi ingenio viri, in primis Ariſtoteles partim experientiâ multiplici, partim vi nativâ proprii intellectûs, ac frequenti meditatione. Opus verò incæptum à prioribus poſteri pro viribus promovere non deſinunt. Finis immediatus Philoſophiæ eſt hominis perfectio, finis ultimus idem eſt ac rerum omnium creatarum, ſcilicet, Dei glorificatio. Dividitur Philoſophia in Logicam, & Metaphyſicam, in Phyſicam, & Ethicam ſeu Moralem, quibus adduntur Medicina, & Mathemathicæ, quæ ſeparatim traduntur.

Logica eſt vera ſcientia, cujus objectum attributionis eſt ens ſcibile, formaliter ut

ſcibile eſt, finis verò directio intellectûs ad omnes ſcientias perfectè acquirendas; eſt ſimpliciter practica; atque ad alias omnes ſcientias perfectè acquirendas abſolutè neceſſaria. Dirigit autem intellectum ad omnes ſcientias perfectè acquirendas, dum certò, & evidenter demonſtrat quid ſcibile ſit, & quotuplex; quâ methodo ſeu quo ordine unumquodque ſcibile ſit: quo modo, & quo medio. Logica enim eſt ſcientia entis ſcibilis formaliter ut ſcibile eſt, atque eorum omnium, quæ ad ens ſcibile, formaliter ut ſcibile eſt, referuntur, quâ cognitione inſtructus intellectus ea omnia certò, & evidenter novit, quæ priùs noſſe neceſſe eſt, ut omnem, & quamlibet ſcientiam perfectè poſſit acquirere. Quia verò tribus mentis operationibus conſtituitur omnis ſcientia, ideò Logica dirigit etiam intellectum quoad tres mentis operationes ad omnes ſcientias perfectè acquirendas, dum certò & evidenter demonſtrat quid, & quotuplex ſit prima apprehenſio ad ſcientiam idonea, quæ verò inepta; idemque de ſecundâ, & tertiâ mentis operatione efficit. Logica utens eſt uſus Logicæ docentis, ſive actualis inquiſitio ſcientiæ; quâ ſcilicet intellectus ſcientiam inquirit eo modo, quo inquirendam novit per logicam docentem. Ac proindè Logica utens non eſt ſcientia, ſed à ſcientiâ procedit, ac per ipſam acquiritur

quiritur ſcientia, habitum Logicæ docentis auget, & perficit, neque alium ſpecie diſtinctum conſtituit.

Terminus Logicus alius eſt vocalis, alius objectivus, alius mentalis. Terminus Logicus mentalis eſt prima mentis operatio, ſive idea quæ poteſt eſſe clara, & certa. Proprium hujus ideæ eſt quòd ſit incomplexa, determinata, & neceſſaria, ſive objecti neceſſarii repræſentativa. Hujus ideæ objectum dicitur terminus Logicus objectivus. Proprium termini Logici objectivi eſt quod ſit ens incomplexum, determinatum, & neceſſarium; ac proindè ens ſcibile, ſive objectum ſcientiæ. Terminus Logicus vocalis eſt ſignum termini objectivi ſubſtitutum loco ideæ, ſeu conceptûs; ut ſcilicet idem ſignificet, atque eodem modo, quo conceptus ipſe repræſentaret, ſi immediatè perciperetur. Propterea voces ſignificant res ipſas prout variis ſubjiciuntur ideis. Prima autem apprehenſio nunquam poteſt eſſe falſa.

Dividitur terminus Logicus tam mentalis, quàm objectivus, & vocalis in ſubjicibilem, & prædicabilem. Terminus ſubjicibilis eſt illud, quod poteſt eſſe ſubjectum in propoſitione Logicâ, propoſitio Logica eſt cognitio, ſeu judicium certum, & evidens, quod vel ſcientia eſt, vel principium ſcientiæ. Terminus prædicabilis Logicus

eſt illud ; quod poteſt eſſe prædicatum in propoſitione Logicâ. Terminus ſubjicibilis objectivus eſt ens ſcibile materiale, ſive objectum materiale ſcientiæ, de quo aliquid ſciri poteſt. Terminus prædicabilis objectivus eſt objectum formale ſcientiæ, quod ſcilicet de alio ſciri poteſt. Utrique commune eſt quod ſit ens incomplexum, determinatum, & neceſſarium ; Proprium eſt autem termini ſubjicibilis objectivi, ſive objecti materialis ſcientiæ quod ſit ens completum unius eſſentiæ & ſubjicibile tantùm, quod ſoli ſpeciei convenit, & individuo neceſſario. Proprium verò eſt termini prædicabilis objectivi, ſive objecti formalis ſcientiæ, quod ſit ens incompletum, & prædicabile tantùm, quando ſcientia inquiritur.

Quatuor ſunt tantùm prædicabilia Logica, ſeu ſcibilia formalia de quolibet objecto materiali ſcientiæ, ſive illud ſit ſubſtantia, vel accidens ; nempè genus, differentia, ſpecies prædicabilis, & proprium, neque plures poſſunt acquiri ſcientiæ de quolibet objecto materiali ſcientiæ. Quidquid in prædicamentis reponitur eſt terminus ſubjicibilis Logicus, & objectum materiale ſcientiæ. Ideò enim inſtitura ſunt prædicamenta, ut omne ſcibile materiale reperiatur. Quàpropter omnia, & ſola individua neceſſaria, atque omnes ſpecies

tam ſubſtantiæ quàm accidentis ibi reponi debent. Jure-meritò excluditur à prædicamentis habitus, ſive indumentum; cùm ſit ens complexum, ſeu concretum ex ſubſtantiâ, & accidente. Undè novem ſunt tantùm prædicamenta. Oppoſitorum eadem eſt ſcientia. priùs ſcibile eſt, quod eſt ſimplicius, atque univerſalius. Hinc ſpecies ſuperiores, quæ in prædicamentis reponuntur, priùs ſcibiles ſunt inferioribus, atque his omnibus priùs ſcibilia ſunt, quæ ante-prædicamenta dicuntur. Quæ verò idem genus immediatè dividunt, ſpecies ſunt ſimul ſcientiâ, ideſt, poteſt quælibet ad libitum priùs, aut poſteriùs ſciri; cùm enim æquè ſimplices, & univerſales ſint, unius ſcientia ab alteriùs ſcientiâ non dependet. Priùs eſt ſcibilis ſubſtantia quælibet, quàm illius accidens, cùm enim totum eſſe accidentis à ſubſtantia dependeat, illius quoque ſcientia à ſubſtantiæ ſcientiâ dependet.

Secunda mentis operatio, ſeu propoſitio eſt Enuntiatio perfecta, ſeu de re quacumque judicium. Proprium eſt propoſitionis, Primò. Quòd ea neceſſariò ſit affirmativa, vel, negativa, ſecundò. Quòd ſit neceſſariò vera, vel falſa. Propoſitio vocalis non dicitur propoſitio, niſi æquivocè; cùm ea ſit tantùm propoſitionis ſignum. Nulla propo-

ſitio poteſt tranſire de verâ in falſam. Contradictoriæ propoſitiones nunquam poſſunt eſſe ſimul veræ: Contrariæ in materiâ contingenti ſunt neceſſariò ſimul falſæ, in materiâ neceſſariâ una eſt neceſſariò vera, & altera falſa. Ex univerſali neceſſariò ſequitur ſingularis, particularis, aut minùs univerſalis. Propoſitio non eſt unus actus ſimplex, ſed compoſitus ex duabus primis apprehenſionibus. Nulla propoſitio determinata de futuro contingenti libero eſt naturaliter poſſibilis, hinc fruſtrà quæritur utrum ex duabus hujuſmodi contradictoriis una ſit vera, & altera falſa. Propoſitio Logica eſt ea, quæ poteſt eſſe certa, & evidens. Proprium hujus propoſitionis eſt quod ea ſit incomplexa, determinata, & neceſſaria. Propoſitio incomplexa eſt ea, quæ unum tantùm habet ſubjectum, atque unum tantùm prædicatum, ſive unâ, au pluribus vocibus tam ſubjectum, quàm prædicatum exprimatur. Tot poſſunt fieri de re quacumque propoſitiones Logicæ, quot ſunt prædicabilia Logica de quolibet objecto materiali ſcientiæ.

Diviſio eſt oratio totum in ſuas partes diſtribuens, eſt enuntiatio perfecta. Tres ſunt diviſionis proprietates; prima eſt, quòd diviſum plus debet continere, quàm ſingula membra dividentia, ſecunda quòd diviſum debet adæquari membris dividentibus ſimul

ſumptis; tertia quòd membra dividentia debent eſſe oppoſita.

Definitio eſt duplex, alia nominis, alia rei. Definitio nominis eſt oratio, quæ quid nomen ſignificet, clarè explicat: fit autem definitio nominis quotieſcumque res per nomen ſignificata clarè deſignatur per unum accidens, quod ſoli rei convenit, vel per plura, quæ ſeparatim ſumpta aliis rebus convenire poſſunt, non item conjuncta. Quoties igitur in diſputatione profertur nomen, cujus ignoratur ſignificatio, vel in quo latet aliqua æquivocatio, ad nominis definitionem recurrendum eſt; neque enim de vocibus, ſed de rebus diſputandum eſt.

Definitio rei eſt oratio naturam rei explicans, eſt enuntiatio perfecta. Proprium definitionis eſt primò. Quòd ea ſit clarior definito; ſecundò. Quòd omni, & ſoli definito conveniat: tertiò. Quòd fiat per genus immediatum, & differentiam immediatam vel ſaltem per aliquid quod verè poſſit ſubſtitui loco generis, aut differentiæ; ita ut clarè rei naturam explicet. Nulla unquam eſt admittenda definitio, niſi demonſtretur, vel niſi ea ſit ita clara, ut omni probatione ſit clarior; alioquin nulla unquam poterit acquiri ſcientia. Cùm definitio ſit prima ſcientia completa eſſentiæ cujuſque rei, ex qua demonſtrantur ejuſdem rei proprietates.

Methodus ſcientiæ eſt ordo, quem obſer-

vare neceſſe eſt in tradendis, vel diſcendis ſcientiis. Ordo autem hic eſt, ut ſemper à ſimplicioribus, & univerſalioribus, ad compoſita, & minùs univerſalia procedatur. Quotieſcumque igitur alicujus rei compoſitæ ſcientia inquiritur, ea ſtatim in partes vel Phyſicas, vel Metaphyſicas reſolvenda eſt per diviſionem, & cujuſlibet partis definitio priùs quærenda eſt, & proprietates; deindè conſideranda res integra, quod compoſitio dicitur, atque ipſius definitio quærenda, & proprietates. Undè non duplex ſed unica eſt Methodus ſcientiæ, quæ conſtat eſſentialiter diviſione, & compoſitione, ut manifeſtum eſt.

Tertia mentis operatio ad ſcientiam idonea eſt actus intellectûs, quo ex duabus cognitionibus certis, & evidentibus tertiam eruit pariter certam, & evidentem; hæc autem modus ſciendi rectè dicitur. Cùm enim modus ſciendi nihil aliud ſit, quàm modus acquirendi ſcientiam, ſeu modus deveniendi ad cognitionem certam, & evidentem, nulla verò ſit ſcientia, niſi concluſio Syllogiſmi demonſtrativi: neque alius ſit modus eruendi concluſionem certam, & evidentem, quàm ipſa forma Syllogiſmi demonſtrativi, quâ ita diſponuntur præmiſſæ, ut tertia ex duabus præcedentibus propoſitio eruatur. Hinc manifeſtum eſt modum ſciendi nihil aliud eſſe, quàm Syl-

logiſmum demonſtrativum. Quia verò intellectus errare poteſt circa modum ſciendi, ſeu Syllogiſmum demonſtrativum vel ignorando quid ſit, vel tribuendo ei proprietates, quas non habet, vel ignorando quas habet, & quot ſint ejus ſpecies. Ideò Logica dirigit intellectum quoad modum ſciendi, ſeu quoad tertiam mentis operationem ad omnes ſcientias perfectè acquirendas, certò, & evidenter demonſtrando quid ſit Syllogiſmus demonſtrativus,& quæ ſint ejus proprietates, & quot ſint ejus ſpecies, & cujuſlibet ſpeciei definitionem, & proprietates.Sed quia Syllogiſmus demonſtrativus eſt quædam ſpecies Syllogiſmi, & Syllogiſmus eſt quædam ſpecies argumentationis; priùs demonſtrat Logica juxta methodum ſcientiæ quid ſit argumentatio, & quæ ſint ejus proprietates, & ſpecies: deindè quid ſit Syllogiſmus, quæ ſint ejus proprietates, & ſpecies.

Argumentatio eſt oratio, in qua unum ex alio infertur. Quòd infertur ex alio dicitur conſequens; illud, ex quo infertur aliud, dicitur antecedens. Proprium Argumentationis eſt, quòd conſequens ex antecedente legitimè inferatur. Proprium Antecedentis eſt quòd ex antecedente vero nunquam poteſt erui conſequens falſum. Hinc rectè dicitur, conſequens eſt falſum; Ergo & antecedens. Ex falſo autem ante-

cedente poteſt erui aliquandò verum, aliquandò falſum; hinc dici non poteſt antecedens eſt falſum, Ergo & Conſequens.

Syllogiſmus prima ſpecies argumentationis eſt oratio tribus conſtans propoſitionibus, quarum tertia ex duabus præmiſſis eruitur. Proprium Syllogiſmi eſt primò quòd tribus tantùm conſtare poſſit terminis; ſecundò quòd medius terminus in unâ ſaltem præmiſſarum diſtribuatur; tertiò, quòd terminus non diſtributus in præmiſſis non poſſit diſtribui in concluſione. Cæterùm in omni propoſitione univerſali negativâ tam ſubjectum diſtribuitur, quàm prædicatum; in univerſali affirmativâ ſolùm ſubjectum, in particulari negativâ ſolùm prædicatum; in particulari affirmativâ neutrum diſtribuitur.

Tres ſunt figuræ Syllogiſmorum. Prima eſt, in quâ medium ſubjicitur in majori, & prædicatur in minori. Proprium hujus figuræ eſt, Primò. Quòd hæc ſola ſit perfectiſſima, atque ad omnem ſcientiam maxime idonea. Secundò. Quòd major propoſitio debet eſſe univerſalis, & minor affirmativa, alioquin medius terminus non diſtribuitur. Figura Galeni eſt modus primæ figuræ dupliciter indirectus.

Secunda eſt, in quâ medium bis prædicatur. Proprium hujus figuræ eſt, Primò. Quòd major ſit univerſalis, & alterutra

præmiſſarum ſit negativa, alioquin medius terminus non diſtribueretur in præmiſſis; Secundò. Quòd hæc ad refutandum idonea tantùm ſit, cùm ejus concluſio ſit neceſſariò negativa.

Tertia eſt, in quâ medium bis ſubjicitur. Proprium hujus figuræ eſt, Primò. Quòd ex minore negativâ nihil ſequitur, quia tunc majus extremum non diſtribuitur in præmiſſis, & diſtribuitur in concluſione. Secundò. Quòd hæc ad ſcientiam inutilis, & inepta ſit; cùm ejus concluſio ſit neceſſariò particularis, & indeterminata, & ideò confuſa.

Syllogiſmus demonſtrativus, ſeu Logicus is eſt, cujus præmiſſæ generant ſcientiam, vel cujus concluſio eſt ſcientia. Proprium hujus Syllogiſmi eſt, Primò. Quòd ejus præmiſſæ ſint certæ, & evidentes, ac priùs notæ ipsâ concluſione. Secundò. Quòd omnes ejus propoſitiones ſint incomplexæ, determinatæ, neceſſariæ, univerſales, vel ſingulares, nunquam verò particulares. Tertiò. Quòd fiat in quatuor primis modis primæ figuræ. In demonſtratione poſito aſſenſu præmiſſarum intellectus non poteſt concluſioni non aſſentiri. Scientia, fides, & opinio non poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu circa idem objectum.

Dividitur Syllogiſmus demonſtrativus, ſeu demonſtratio in demonſtrationem à prio-

ri, ſive à causâ; & in demonſtrationem à poſteriori, ſive ab effectu. Tria ſunt ad demonſtrationem quamlibet præcognita, unum de ſubjecto, unum de prædicato, & unum de medio. De ſubjecto demonſtrationis priùs noſſe oportet quid ſit per nominis definitionem; de prædicato quid ſit per definitionem rei: de medio quale ſit, ſeu quo medio quælibet propoſitio demonſtrari poſſit. Hæc autem omnia, & ſingula, atque ea cuncta, quæ ad iſta referuntur certò, & evidenter demonſtrat Logica noſtra.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Google